
SANCTISSIMAE
DEIPARAE
CVLTVS
IN
SICILIA.

Præsidium, & Decus.

Jo. Frid. Greuter fe.



ICONES ALIQVOT, ET ORIGINES ILLVSRIVM ÆDIVM SANCTISSIMÆ

DEIPARAE MARIAE,

QVÆ IN SICILIÆ INSVLA COLVNTVR.

OPVSCVLVM POSTHVMVM

R. P. OCTAVII CAIETANI

SOCIETATIS IESV.

Acceſſerunt Meditationes de Vita eiuſdem Deiparæ.







Panormi apud Cirillos Anno 1657. Et iterum Panormi ex Typographia Petri de Iſola 1663.

Reimpr. Abb. Gel. V. G.

Reimp. pro Sp. de Dominici F. P.
Abbas D. Octauius de Auguſtino.






THOMAS REINA

PROVINCIALIS IN SICILIA.

CVm Librum, cui titulus est, *Vitę Sanctorum Siculorum*, à R.P. Octauio Caietano Syracusano nostræ Societatis Sacerdote compositum viri graues, atque sapientes eiusdem Societatis, quibus commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultate nobis à R. P. Carolo Sangro Vicario Generali communicata, concedimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Panormi 10. Iunij 1641.

In huius libri fine extat præsens opusculum de Iconibus Deiparæ in Sicilia.

Thomas Reina.





PIO





MATER DNI + MARIA
ROG
COME
2



PIO LECTORI.

IN calce posterioris Tomi ex duobus voluminibus de Sanctis Siculis á R.P. Octauio Caietano elaboratis, impressisq; Panormi anno 1657. breues quædam enarrationes leguntur originum nonnullarum illustriũ ædiũ, quæ ad sanctissimam Deiparam colẽdam in Insula Siciliæ, sparsim, per loca varia sunt sitæ. Singulis autem eiusmodi enarratiunculis præfigi debuerant Icones eiusdem Virginis, quarum prototypa in ijsdem ædibus seruantur, ac singulari pietate à fidelibus coluntur, quasq; idem P. Octauius ex prædictis prototypis per summam fidem exceptas ære incidi Romæ curauerat. Verum, quæ mortis non est insueta conditio, pias etiam, ac Religiosas actiones intercidentis, ex hac ad immortalem vitã Auctore trãslato, opus diù iacuit: dein imperfectũ (nempe Historiæ sine Imaginibus) post aliquot annos, memorato scilicet 1657. prodijt, quasi semiamictum, in lucem.

Porro cum P. Octauius quadraginta fere abhinc annis Imaginum prædictarum incisionem procurabat, ego Romæ negotiorum meorum caussa forte commorabar: quare is mihi sui peramantissimo hanc procurationem demandauit, quam suscepi libens, nauiterq; ad finẽ perduxi, ære incisis à non ignobili artifice Iconibus, ad viuum sanè Originales repræsentantibus: sed, vt diximus, nemini post Auctoris obitum effigies enarrationibus adnectere, cordi, vel curæ fuit.

Ego igitur, qui occasione illius opellæ, qua incident

tunc

tunc pręsui, complemento operis animum permaxime addixeram, nunc tandem e graui quasi somno post tot annos excitus, statui, ad eum modum, hoc est, adiunctis Iconibus, opusculum in lucem efferre; quo videlicet modo Pater ipse Octauius illud singulari pietate cōceperat, summaq; solertia fere pepererat. Et *in hoc quidem loco latine, vt Auctor sub conciso stylo dedit, enarrationes tibi, Lector offero: nam cæterum in Italicum sermonem idem ipse transferam quas per alium libellum in tuas manus propediem dabo. Facturum item operæ pretium, duxi, si tanquam iucundissimum parergon his adderem* Meditationes *de vita eiusdem Deiparę, summa pietate a* P. *Io. Augustino Confalonerio, scriptas, ac Mediolani iam olim impressas: vt scilicet, qui pręsens hoc* P. *Octauij opusculum in manus acceperit, habeat, vnde ipsius oculi Iconum varietate recreentur; animus verò erigatur euentuum lectione mirorum, ac denique per sacras* Meditationes *amor magis magisq; incendatur in Virginem.*

M*unusculum ergo amplectere hilari vultu, pie Lector, tibiq; pergratè cadat, si non ob meum satis abiectum nomen, certè ob nobile argumentum, super quo nostra (qualis qualis illa fuerit) desudauit industria: illud enim quantum, quamq; diuinum sit, cum sit de Deipara, probe nosti. Vale. Dat.*Panor.*20.Iulij 1661.*

Indignissimus, sed vero addictissimus
Sanctiss Deiparæ Æternum seruus.



DEIPARÆ VIRGINIS CVLTVS IN SICILIA ANTIQVISSIMVS ÆQVE, AC CELEBERRIMVS.



AM inde à mundi incunabulis receperat in se Deus, per Virginem conterendum esse serpentis caput, idest idololatriam, cui sanè oraculo consentanea scribit D. Cyrillus, ita Deiparam alloquens. *Per te Trinitas sanctificatur; per te crux pretiosa dicitur, & adoratur in toto Orbe terrarum: per te exultat cælum: lætantur Angeli, fugantur Dæmones, & homo ipse ad cælum reuocatur: omnis creatura idolorũ errore detenta, conuersa est ad notitiam veritatis, & fideles homines ad sanctum Baptisma peruenerunt, atque in toto Orbe terrarum constructæ sunt ecclesiæ &c.* quorum omnium Deipara fuisse causa dicitur, non modo partu Iesu Christi, qui tot bonorum nobis auctor extitit; sed precibus ad Deum suis, quibus hominum salutem, & ab idololatria conuersionem impetrauit: *Omnium salutem* de ea Riccardus ait, *desiderauit, quæsiuit, & obtinuit; imo & salus omnium per ipsam facta est.* Rupertus item Abbas verba illa Canticorum explicans. *posuerunt me custodem in vineis*, idest *in Gentibus*, subdit, *quæ non quidem erant, sed ex mea custodia factæ sunt vineæ Domini.* ac rursus ita loquentem Deiparam inducit, *pro vna vinea, quę debuit esse mea, sanguis meus, caro mea, multas vineas acquisiui, multas Ecclesias in Gentibus dilataui; quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant, de meis meritis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes, & pro huiusmodi custodia clamantes ad me iugiter.* quod singulari priuilegio videtur Dei Mater à Filio consecuta, dum is in cruce penderet: in qua, dum e latere suo Christus Dominus Ecclesiam pareret, Maria Virgo Ioanni tradita Mater, simul constituta est Mater omnium, qui cum in tenebris infidelitatis tunc versarentur, lucem eius fidei, ope Matris recepturi erant. itaque D. Iustinus Martyr Mariam appellat, *secundam Euã*, quod Eua, prima mater, peccato nos genuit, Maria gratiæ, & fidei. iure etiam à D. Augustino dicitur, *Mater Gentium*: & à D. Ioanne Damasceno, *omnium Orbis Ecclesiarum Mater.*

Gen. 3.

D. Guill. ho. 16. contra Nestor.

Ricc Vict. in Cant. c. 26.
Rup lib. 1. in cant.

Iust. dial. cũ Tryphon.
Aug. ser. 35. de SS.
S. Damas. or. 2. de B. Mar. dormit.

Quod igitur Sancti Patres vniuersim de Maria Virgine prædicant, nemo dubitauerit speciatim de Sicula Ecclésia accipiendum etiam esse; eius ope Siciliam factam esse Domini vineam; illam esse Ecclesiarum Siciliæ matrem; ab illa Siculos, excisa idololatria, Christianæ fidei progenitos. cuius rei testem esse velim tum initia Christianæ religionis apud nos; tum ab illis initijs deductus, & perpetuus Deiparæ cultus, & amor in Sicilia: quare optimo iure factum arbitror, vt plerasque Deiparæ sacras ædes ex ethnicorum templorum columnis, epistylijs, & marmoribus maiores nostri exstruxerint, vt ipsam intelligeremus falsorum Deorum victricem, ab iisdem opima tulisse spolia. itaque Messanensis ædes maxima constructa est columnis, quæ fuerant Neptunij templi in Peloro Promontorio, Summa ædes Catanæ è columnis marmoreis veterum Thermarum; Metropolitana templa Panormitanũ, & Monteregalẽse, aliaque Virgini dicata ex antiquorum templorum ruinis plurima desumpserunt ornamenta, & veluti deuictæ idololatriæ trophæa. repete quæso animo, quibus tandem machinis ad profligandum è Sicilia dæmonum cultum vsi sint Christianæ pietatis Duces, qui primi in illam irruperunt.

D. Petrus Apostolorum Princeps Antiochia in Siciliam transmisit Marcianum, & Pancratium sanctissimos viros, & planè dignos Episcopos, quibus Sicula Prouincia, ad Christi Ecclesiam, & fidem adiungenda, demandaretur. vterque vero, vti summa in Deiparam pietate præditus erat, ita illius patrocinio vsus propagandæ fidei nauabat operam.

D. Marcianus Syracusarum Episcopus Virginis Sãctissimæ imaginem secum tulit, cuius specie diuinum in se amorem foueret, & indigenarum animis cælestes ignes ad Christum euolantes ingereret. illa, tamquam cælesti fulmine, idolorum simulacra deijcere; illa, veluti firmissimo clypeo, à stygiorum monstrorum rabie, ac impetu se, suosque tueri; illa, vti ancipiti gladio, ab energumenis, obsessisque domibus laruas, ac trepidantia spectra in fugam vertere; illa, non secus ac diuino medicamine, cæcis, mutis, claudis, paralyticis, alijsque morborum vi afflictis, visum, loquelam, integrasque vires impertiri consueuerat. Eam effigiem in antris collocauit, quæ Pelopia quondam, nunc vero ab æde superstructa D. Ioannis Apost. dicuntur, ad inferiorem Acradinæ partẽ. ibi Marcianus docebat, ibi baptisterium statuit, & sacris operabatur sub tutela Sanctissimæ Dei Genitricis, vt quos Christo genuisset filios, pie-

pietatis lacte in magnam matrem enutriret. in eo subterraneo templo etiam num plures conspiciuntur Virginis Icones; sed incertum, an earum aliqua, ad huius, de qua loquimur, similitudinem conformata fuerit.

D. Pancratius Tauromenitanus Antistes, dum puer adhuc esset Hierosolymam adductus à parentibus, Christum Dominum in mortali carne ibi degentem vidit; nec dubitandum videtur, quin etiam Sanctissimam eius genitricem inuiserit; minus ergo mirandum, si spem, opemque in Deipara collocarit, eiusque patrocinium sibi, suisque voluerit esse præsidium inexpugnabile. Tauromenij templum Virgini Sanctissimæ statuit, & sacram illius effigiem, ad enascentem fidei segetem educandã, proposuit. mira sunt, quæ per eam imaginem perpetrauit, & quot per eam ad Christi religionem allexerit. cum ferox tyrannus, cum maxima furentium militum manu Tauromenium expugnaturus, ad mœnia accessisset, trepidantibus omnibus, ac de Vrbis deditione cogitantibus, Pancratius pro mœnibus Deiparæ imaginem ostentans, & victoriam inclamans, tenebras primum in hostium mentes iniecit, vt se inuicem plurimi gladijs contrucidarint; mox Christianæ pietatis fulgorem immisit, cum cælestium vim animaduerterunt. quantus hic Virgini triumphus, quantus amor, ac religio.

An à D. Pancratio, an aliunde Tauromenitani non manu factã Deiparæ imaginem habuerint, incertum est; id tamen certum, eos coluisse antiquissimo in templo eiusmodi imaginem, ex eo genere, quas olim Græci non manufactas appellarunt, quòd non ab humano penicillo depictæ essent, sed vel ab Angelis, vel diuinitus prodierint; quamuis non ignorem ectypis eamdem non manufactæ imaginis nomenclaturam e prototypo deductam, fuisse non raro datam; qua de re docte, vt solet, Iacobus Gretserus in opusculo de non manufactis imaginibus multis disserit. locuples vero testis tum imaginis, tum pietatis, qua à Tauromenitanis colebatur, est Theophanes Episcopus Tauromenitanus, cum ait, *cum vero intueor populum meum tanta cum religione ad sacrum templum, in quo non manufacta longe purissima Domina nostra Imago collocata est, quasi facto agmine concurrentem, gaudeo, & lætor.* *Homil. de Transfig. Domini.*

Huc etiam spectat, quod ethnicismi reliquias alicubi diu retentas eiusdem Virginis religio extirparit. in monte Eryce ædes maxima eo consilio ad occidentem exædificata est, vt ab eo celeber-

rimo Veneris Erycinæ templo ad Orientem ibi constituto retraherentur illi, quibus adhuc adblandiebatur antiquissimi illius prostibuli potius, quam templi, superstitio. fama vero edicit, abolendis superstitiosis quibusdam ritibus, qui adhuc ex gentilitate pullulabant, Pontificem ad Erycinos misisse pulcherrimum è marmore simulacrum D. Virginis Genitricis, brachijs diuinum infantem complexæ, quod in æde maxima colitur, eique à Stella nomen, quam in fronte supra pallium incisam habet, vt Erycinis è Diuinæ Matris vertice felicior lux affulgeret. Sed in Enna celeberrimum erat Cereris templum, cuius vestigia extant extrema in rupe ad Orientem; illic dein exstructum est templum Deiparæ. at perdurabat apud Ennenses reliquiæ veteris superstitionis, Insignia Vrbis adhuc erat Ceres cum spicis, antiqui eius templi semidiruti noxius aspectus sollicitabat, festi dies Cereris mense Iulio, cum fruges maturescunt, peragebantur. Sed Virginis pietate hæc profligata sunt, quare Ennensis Clerus, Magistratusque delendæ Cereris superstitioni ad Deiparæ patrocinium accurrit. festum diem D. Virginis Visitationi ineunte Iulio instituit celeberrimum, supplicationes ad illam decreuit, quibus effigies Virginis ad ipsius ædem *à Portu Saluo* deduceretur; ac demum S. Mariæ Imago in Vrbis insignibus constituta. ita feriarum Cereris superstitio pro Sanctissimæ Virginis patrocinio penitus obliterata est.

Encom. Syracus. Aucto Christianorum numero cultus etiam in Deiparam auctus, ac sacrarum illi ædium numerus. celeberrima fuit, quam Syracusis à Belisario nobili, ac prædiuite vero extructam, anno Christi CC. ab Euxio consecratam almæ Dei genitrici legimus.

Ex vita S. Ai Metaph. Porro anno CCXXXVIII. ad fluuium Assiam haud procul à Leontinis Publius vir apprime pius, opibusque præpollens Virgini templum erexit, quò ipse confugit Maximi furorem declinaturus. A Thecla etiam, pietate, ac nobilitate illustri, templum ibi Virgini positum haud sine cælestium impulsu, annum circiter CCLXII. ibidem in Vrbe media idolorum fanum in magnæ matris templum commutatum. Hinc quid in cæteris vrbibus factum fuerit, quando monumenta tot cladibus consumpta non supersunt, coniecturam capere facile poterimus. multæ enim celeberrimæ, ornatissimæque Basilicæ S. Virginis in Sicilia extitere; quapropter Nilus Monachus in vita S. Philareti græce manuscripta, quæ Messanæ in Bibliotheca S. Saluatoris asseruatur, in eo præcipuam Siciliæ laudē reponit, quòd multa habuerit sacella, & templa Sanctorum

ctorum admirabili pulchritudine, & immensitate, inter quæ augustiora Sanctæ Dei Genitricis nomine decorabantur, constat, ex M.S. Vita S. Leonis Catanensis Episcopi nobilissimum templum Virginis floruisse olim Catanæ anno circiter DCCXV. hæc enim ibi leges. [quadam die cum ad Basilicam in honorem B. & Gloriosæ Dei Genitricis Mariæ constitutam, missarum celebraturus solemnia processisset Antistes, illuc Ciuitas tota festiua conuenit; nam diei cultus solennioris vrgebat, & propter Virginis amorem sacratissimæ locus habebatur ille celeberrimus, & quo nullus esset in vrbe celebrior.]

Augusta etiam fuit S. Dei Genitricis Basilica, quam Theodosius II. Syracusarum Episcopus anno ferme DCXC. construxit illi similem, quam Pulcheria Imperatrix condidit Constantinopoli, & *ad Blanchernas* dicta est. fuisse etiam celebre, annum circiter DLX. in Agrigentino suburbio templum Virginis pulcherrimum, cœnobiumque sub eiusdem S. Matris nomine in vita S. Gregorij Agrigentini habetur. Syracusis templum Virgini dicatum, ipsius Episcopi sedes refectum est à Zosimo Episcopo anno Christi ferè DCXLV. sub Theodosio deinde Episcopo direptum est à Barbaris, atque ex eius supellectili vasa argentea à Saracenis asportata, quinque millia argenti pondo fuisse traduntur.

Sed quis modus, si accuratius recensere velimus templa, aut omnia, aut celebriora, quæ cultum Virginis Deiparæ in Sicilia promouerūt? quæ enim in Sicilia vrbs, oppidum, pagusue; imo quis ager, qui montes, quæ valles, nemora, lacus, flumina, in quibus non reperias, aut, sacras Deiparæ ædes, aut positas saltem imagines, cultus, & patrocinij testes? iacent quidem pleræque vrbes, nec de ijs quisquam iam diu curat; at Deiparæ templa ibi adhuc sarta tecta seruantur ad cultum: ad verticem iacentis Camarinæ, ædes est B. Virginis, idibus Augusti, magno adiacentium populorum cōcursu celebrata: eademque in ora Siciliæ littorali ad meridiē in oppidi veteris iam diruti ruinis, quod nomen etiam amisit, D. Mariæ templum visitur: intra sinum euersæ Segestæ, vnicum fanum, prisci operis monumentum, quadratis ex lapidibus, testudinatum, & integrū, D. Mariæ sacrum est, quo loco Triocala vrbs olim fuit. in edito colle prostrati Tyndarij ad mare tyrrhenum; vbi olim Alesa vrbs ad Septentrionem, vbi Aluntium, ibi solum in sacris ædibus Virgo colitur.

Plurima sane templa Virginis excidit Saracenorum clades, quæ


du-

ducentis annis,eoque amplius Siciliam peſsum dedit, quare in antra,ſecretaque loca,Virginis ſimulacra pij Fideles tum detulere; atque ex iјs creditur fuiſse paruũ Virginis ſimulacrum, quod eiuſdem monitu, Lilybœi inuentum eſt in puteo,vnde, & nomen traxit *S. Maria à Caua*. itidem tabula, in qua eiuſdem Virginis depictus obitus, quæ in templo S. Mariæ à Gibilroſſa prope Panormum depicta fuerat ex ſubterranea ſpecu eruta eſt, ſupra quam templum,ante Barbarorum aduentum fuiſse traditur. Sed fidelium lacrymis, precibuſque fatigata Mater Sanctiſſima, Rogerio Duce in libertatem Siciliam vindicauit; quare tantæ Virginis nomen, & imaginem in ſuo vexillo deferebat tunc Rogerius: poſteaque,reſtituta pace,monetas ex altera parte eiuſdem Beatiſſimæ Virginis ſigno excudendas curauit, ſub hoc lemmate. MARIA MATER DOMINI; Ex altera verò ſua ipſius Imagine,hac inſcriptione.ROGERIVS COMES. vt videre eſt apud Parutam in numiſmatibus Siciliæ fol.157.Inde beneficij memores Siculi innumera liberatrici Virgini templa excitarunt, quorum ſeu magnificentia,ſeu ſacra ſupellex, ſiue etiam numerus ſpectetur,maximus Siciliæ erga Deiparam cultus arguetur. nam præcipuæ, maximæque ædes Virgini dicatæ ſunt, vti Cathedrales Panormi, Meſsanæ, Syracuſarum, Catanæ, Montis Regalis,aliaque templa alijs in vrbibus,quorum numerum inire vix quiſpiam facile poterit. imò quidquid in honorem Dei Genitricis cederet,libenter Sicilia amplexa eſt, nec ferè vſpiã aliquod celebre fuit Virginis nomen, ſub quo templum à Siculis nõ erigeretur. ita templum Virginis *ad Blancbernas* in Sicilia cõditũ, & S. Mariæ ab Itria, quibus nominibus à Pulcheria Imperatrice duo templa auguſtiſsima Conſtantinopoli conſtructa licet alterum Virgini Hodigitriæ, mutilata voce, Itriæ, appellatum ſit.ita & Virginis latinæ templum factum eſt; vt erat in Hieruſalem. & S. Mariæ de Bethlem, itidem S. Mariæ Maioris, quod Romæ viſitur. nec Lauretana ædes in Sicilia neglecta eſt, nec Montis Serrati, & Guadalupe; quarum duæ poſtremæ in Hiſpania ſunt. Demum SS. Virgo nomen ipſa noſtrum, vt maioribus deuinciret beneficijs, ſuſcepit, dictaque eſt Sicula ſub qua nomenclatura Neapoli anno 1275. ædes Virgini exædificata eſt, quæ multis miraculis illuſtrior fuit anno MCCLXXV. cui has inſcriptiones adiectas lego. *D. Ladislaus Rex, cum morbo Sciatica eſset infectus, conuerſus ad B. Virginem Siculam,liber euaſit, & Diua Ioanna Soror Regis Ladislai quolibet hebdomada in die Sabbathi eamdem ſumma*

cum

cum deuotione visitabat; ab eademque singuli patientes sani redibant.

Sed cum nequeam plurima dona, quibus Siciliam auxit Deipara, recensere, nec tamen omnia præterire liceat, ne ingrati animi notam subeam, id consilij placuit, vt originem nonnullarum sacrarum ædium, & imaginum Sanctissimæ Matris, quæ ab aliquo eiusdem beneficio, atque prodigio initium traxere, paucis explicarem. hac enim ratione complectar Virgineæ in Siciliam beneuolentiæ argumenta, & communis simul Siculæ pietatis in Virginem indicia, quibus maior in dies amor, & fiducia erga munificentissimam Patronam merito innitatur. Cum autem de Imaginibus Deiparæ per Diuum Marcianum, & Diuum Pancratium primis Ecclesiæ temporibus in Siciliam inuectis, tum de insigni simulacro Drepanitano iam dixerimus, nihil de ijs hic addendum. iuxta temporum ergo seriem de alijs dicam; non tamen de omnibus, quia maioris curæ, & otij id esset, quam possim adhibere sed de ijs, quas olim præcipuas ratus descripsi.



DEI


3
N.S.ra DI VALVERDE, A MONGIBELLO, PRESSO
A IACI.
3
Frid: Gr: sc:

DEI PARENTIS IMAGO

VALLIS VIRIDIS IN MONTE AETNA.

Anno 1040.



VM Orientis obtineret imperium Michael Paphlago, anno hum: sal: 1040. tumultuantibus in Sicilia inter se barbaris, Georgium Maniacem virum strenuum ad liberandam Siciliam ducem cum classe misit; is vbi in Siciliam venit, coniunctis contra eum Sarracenis, prius dissidentibus, parem Barbarorum se viribus minime ratus, ab Salernitano principe Guaimaro, & Landulfo Capuano Duce suppetias petijt, à quibus nonnullæ Nortmannorum copiæ missæ, Vuilelmi, & Roberti ductu: inter cæteros Landulfi milites, vir quidam ligur, cui Dionysius nomen erat, proceræ admodum altitudinis, parisque corpori roboris aduenit, qui multas ediderat in prælijs barbarorum strages, & formidabilem hostibus se præbuerat. Deuictis Sarracenis, cum Maniaces conscriptis de spoliorum diuisione legibus non stetisset, magna inter eum, & Nortmannos duces exorta contentio, quare ægris animis abscessere: Dionysius cũ nec Nortmannos sequi vellet, ne Georgio sese adiungeret, pessimum consilium cœpit: antrũ in ætna monte nactus supra virentem vallem diruptis rupibus, atq; anfractibus inuium, ibi sceleratam vitam degere statuit; itaque ad rapinas se vertere, in viatores impetum facere, bonis omnibus quoscumque posset spoliare, semper humano sanguine infectas manus tenere.

Verum, ita sanctissimæ Matris gloriæ fauente Deo, euenit, vt mense Iunio Catanensis quidam Ægidius, pius Virginis cultor, illac iter habiturus esset, qui ab aliquibus monitus, ne in crudeles Dionysij manus, si vlterius progrederetur, incideret; respondit, progredi omnino oportere, satis sibi in Virginis clientela aduersus quemlibet opis esse: nec hominem pia fefellit opinio, nam noctu in via à Dionysio stricto gladio appetitus, adhibitis illi frustra precibus, Deiparam tandem inuocat patronam suam; adfuit statim præsens illius auxilium: ecce enim repente vehementissimus terræmotus coortus, & atra nox luce clarissima refulsit; ex qua vox ingens emissa ter Dionysij nomen inclamauit, attonitus ille

erecto brachio gladium tenente, hærebat, nec se poterat commouere, petijt tamen trepida voce, quisnam esset, qui se vocaret, quidnè ab eo peteret? Virgo Deipara, inquit, sum; vt opem Aegidio meo ferrem, tuisque è manibus eriperem, huc descendi; remitte iam ensem, & liberum viatorem sinas. flexis tum genibus latro petita ab Aegidio venia, eum dimittit; quo profecto, cum multis lacrymis precibusque Dionysius à Virgine pacem exposceret, sanctissima mater immensa luce circumfusa, magnaque Angelorum multitudine stipata clare se illi videndam obtulit, bonum habere animum iubet: spondet, si suo dicto obediens futurus esset, veniam illi à filio impetraturam; promittit omnia, quamuis ardua, interna iam vi commotus latro: tum illa hæc præcipit; primum, vt pessimam prioris vitæ rationem detestetur, deinde vt Eremitæ habitū capiat, sibi templum in eo loco fabricandum curet; petijt ab ea, & Dionysius, vbi, & quo pacto in ea solitudine id construendum. I, magistratum, & clerum aduoca, in hanc vallem communi pompa conueniant, & vbi gruum corona visa fuerit, ibi nostra domus excitetur: nec aquarum penuriam metuas, sed quo in antro tot hominum effudisti sanguinem, meo inuocato nomine parū effodias, & fontem aperies ijs, qui biberint, salutarem.


Satis iam quid facturus esset edocto Dionysio, Virgo Sanctissima inter cœlestes choros sublimis abijt: ille protinus armis, vestibusq; depositis eremiticū habitum ex lana suscipit, & ad mandata celestia obeunda oppidum propinquius Acim petit; rem publice exponit, concurrunt omnes; fit solemnis supplicatio, ad virentem vallem tenditur: tria ferme passuum millia distabat ab Aci; vbi grues spectantibus omnibus apparuere: illico sacras preces flexis genibus incipiunt, cumque Sanctissimæ Mariæ nomen ter inuocassent, aues veluti ratione præditæ suis cantibus acclamarunt, ac demum in altum euolantes, ex oculis euanuerunt: nec minor fuit admiratio concurrentis populi; cum ad tertium ligonis ictum ex arido antro fons perennis aquæ prosiluit, ex qua varijs varij affecti morbis bibētes conualuere. his miraculis accensis animis inceptum Templi opus, vrgente Dionysio sequenti anno perfectum est.

At vero Sabbati nocte, quæ vltimam Augusti Dominicam præcedit, sacrā Virgini diem, cū Dionysius in templo esset, Virginū chorum conspexit: inter quas vnā pulcherrimā diademate coronatā cū filio in vlnis; quæ omnes ad pilā tēpli accesserūt, ac repente ex oculis

his

ſis ſublatæ illuceſcēte die in eadē pila imago Virginis inuenta, Græca videbatur pictura: ſedebat cœruleo velamine, aureis notis diſtincto, cooperta Sāctiſſima Mater, dextra vlna filiū tenens, erecta dextra benedicentem, ſiniſtra manu gruem capit; tres aureas coronas duo Angeli imponebant. Templum hoc auctum magnifice, decoratumque à Friderico Rege, qui cum Ioanne Randazij duce illac iter faciens Virginem veneratus, à tribus Epiſcopis illud conſecrādum curauit, cuius conſecrationis cruces adhuc videntur: prædijs etiam illud munifice donauit, caputque omnium Acis Eccleſiarum conſtituit, & multas alias Eccleſias, S.Ioannis ad nemus, S.Mariæ à Scalis, & S. Luciani templa illa addixit.

Mirum fuit quod in illa Templi ampliatione accidit, quippe cū id dilatare vellent, paries, in quo Deiparæ depictū erat ſimulacrū promouendus erat; prius itaque tres tabellas ad illius Iconis formā depingendas curant, ſed mirū dictu, cū ſero perfectæ eſsent, poſtero mane deletæ inueniebātur. Re ſæpius fruſtra tentata, machinis protrahere murum decernunt: reſtitit tamen ille, nec vi vlla proferri potuit; Virginis enim imperium, non humanum agnoſcebat robur. demum per ſpeciem Damiano paſtori fido clienti ſanctiſſima Virgo apparuit, nuntiat tempus eſse protrahendi parietis, ſine Iconis detrimento. Ergo dum ergatæ aptantur, & expediuntur funes, alia potentiori dextera impulſus paries, vltro, nullo duce ad alium ſe parietem adiunxit in dextera templi parte. Vbi deinde vario lapide, & puro marmore magnificum extructum, ſummoque omnibus in honore eſt, & reuerentia. Miraculorum verò ſeriem, ſi vellem hic apponere, infinitum plane opus poſsem conficere. Ex monumentis eccleſiæ ab Epiſcopis Catanenſibus confirmatis, & literis Vicarij Vallis Viridis hæc deſcripta ſunt.





NOSTRA SIGNORA DI PIAZZA.

Stendardo del Conte Ruggiero.

IMAGO DEIPARÆ PLATIENSIS.

Anno 1165.



EVICTIS feliciter Sarracenis, qui Siciliam graui ſeruitute preſſerant, vexillum illud, in quo Virginis erat Icon, non minus Chriſtianis auguſtum, quam barbaris formidabile, quo Comes Rogerius hoſtes debellauerat in noua Platienſi Colonia ſitum fuit, habitique illi honores, vt par erat, vſque ad Guillelmi cognomento mali tempora; tum enim coniuratione in Regem orta, cum inter alios plurimi ex viris primarijs Platienſibus à VVillelmo deſciuiſſent, (qua coniuratione Panormi in carcerem ille coniectus eſt,) grauis deinde Platiam calamitas oppreſſit; vbi enim è carceris latebris in regium ille ſplendorem reſtitutus eſt, grauiter ſæuijt in perduelles, adeò vt coloniam illam ſolo æquari iuſſerit. at vero viri nobiles illi, quod euenit, metuentes, fuga ſibi conſulendum rati, ſanctiſſimum vexillum, ne quid in cœco furore caperet detrimenti, ſubterraneo in loco abdiderunt: quibus ſubinde extinctis, vexilli etiam notitia extincta eſt. data deinde facultate reliquis ciuibus, qui nullam perduellionis noxam contraxerant, arcis in proximo colle excitandæ ſub eodem Platiæ nomine, multos annos ſummo ſtudio, ac diligentia fruſtra perquiſitum vexillum, donec ſanctiſſimæ Matri viſum eſt ad ſuorum Clientium incolumitatem theſaurum abditum aperire.

Nã poſt 180. annos, quo tempore ſub terra delituerat vexillũ, anno ſalutis 1345. cum validiſſima peſtilentia laboraret Sicilia, Deipara Virgo tot, tantaſque ærumnas miſerata, per quietem Sacerdoti vitæ integerrimæ ſe ſe obtulit: indicat vbi locorum expetitum tamdiu vexillum aſſeruetur, nec dubiam facit ſpem illud erutum, veluti celeſte iubar, omnes calamitatum tenebras diſiecturum. tam læto nuntio magiſtratui, cleroque delato, ſolemnis inſtituitur ſupplicatio; ad antiquam coloniam omnes ſumma cum alacritate concurrunt: ibi autem ſub vna ex pilis dirutæ iam veteris ædis ſacram Iconem, quæ in tela erat tabulæ compacta, inueniunt integram; etenim nec tam longi temporis diuturnitas, nec terræ humor vlla infecerat macula effigiem immaculatæ Virginis,

ſed potius venerabũda ipſa humus geſtiebat tanti theſaurũ in ſuo ſinu cõſeruare. tã clari miraculi celebritate excitæ gẽtes cõcurrere omnes cœperunt ad collem, hymnos, laudeſque Deiparæ concinere, conceptam animi ſpem, ac lætitiam vultu, ac deuotione præ ſe ferre. poſtea illata in vrbem, celebri pompa, multiſque collucentibus ignibus, veneranda ſanctiſſimæ Matris imago, quæ ipſo oris aſpectu peſti feram luem propellere videbatur; ſtatim vero penitus peſtilentia compreſſa eſt. ciues beneficijs aliquam referre gratiam cupientes magnificum Templum in altiore collis, qui colebatur, parte Virgini, vt Patronæ ſuæ, fabricarunt.

Iterum deinde anno 1479. diffuſa per vniuerſam Siciliã contagione, quæ Ruffini peſtis dicta fuit, cum etiam Platiam peruaſiſſet, ciuitas ad Patronam accurrit cuius commota precibus clementiæ mater, illam ſecundo peſtifera tabe liberauit. cuius rei peruulgata fama auxit mirificè pietatem in Virginem cum propinquarum vrbiũ, pagorumque tum etiam remotarum; adeo vt quamplurimi in ſummis difficultatibus, præſertim in pluuiæ penuria, ad hanc Virginem concurrerint. Ex monumentis Eccleſiæ Platienſis, & M.S.Cod.



SAN-




LA MADONNA DELLA VITTORIA DI PALERMO

6



SANCTISSIMA IMAGO VIRGINIS A VICTORIA PANORMI.

Anno 1171.



VM olim duo illi heroes, quibus Sicilia libertatem ſuam acceptam refert, inter ſe non minus ſanguinis vinculo, quam præclare geſtorum copia coniuncti, Panormum obſiderēt, ab occaſu Robertus, Rogerius vero à meridie, Sanctiſſimæ Deiparæ nomen, opemque implorarunt: exauditas preces euentus ſtatim comprobauit; nam eodem tempore in vrbem ingreſſi ſunt Robertus porta ferrea, & Rogerius anguſta, cui nunc à Victoria nomen eſt. firmaque fama circumfertur, Rogerio ſe videndam obtuliſse exercituum Reginam, quæ vexillum manu præferens animos faciebat, aditumque in vrbem præſtabat: in eo loco templū ædificatū eſt, & imago poſita Sanctiſſimæ Deiparæ vexillum manu geſtantis in beneficij memoriam cum hac Inſcriptione.

Porta hac, in quā Rogerius inuictiſſimus Siciliæ Comes irrūpens, aditum exercitui chriſtiano ad vrbem hanc Panormum ab indigna Sarracenorum ſeruitute emancipandam venienti, patefecit, Victoria cognomento, ab eo deuictorum hoſtium ſummo cum honore ob inſignem reportatum victoriam Deiparæ Virginis cultui, victoris eiuſdem Principis, ardenti, ac pio deſiderio conſecrata eſt Quinctili menſe. Dom. Incarnationis

Anno M.LXXI.

A. T. D. G. P.



Diua



S. MARIA DI RAVANOSA PRESSO ALL'ALICATA.



DIVA VIRGO,

CVI NOMEN RAVENOSÆ,

Anno 1080.




VO tempore Comes Rogerius Siciliam inuictißimis armis à Sarracenorum iugo eripere conabatur, id traditur euenisse, quod pictum adhuc visitur in templo S. Mariæ Rauenosæ. Prope Gelensem agrum mons est, qui Sarracenus mons etiam num appellatur: in eo vrbs olim eodem nomine dicta à Sarracenis tenebatur. oppugnabat eam acriter Rogerius dura obsidione; fertur autem euenisse, vt præ aquarum penuria vniuersus exercitus grauiter laboraret, quapropter ad Deiparæ opem cōuersus pius Rogerius eam enixe precatus est, vt siti vexatis copijs benigna opitularetur? Audijt Clementiæ mater Comitis preces, quare precanti illi se obtulit; solatur, animos addit, locum prope ipsius tabernaculum indicat, vbi paullulū effossa terra, aquæ fons erupturus erat; cumulatq; hæc omnia nouis beneficijs; nam ægroto fratri Rogerij Comitis sanitatem reddidit: erupit, vt Virgo prædixerat, aquæ fons: releuatus optatis lymphis exercitus: captum, expugnatumque opidum: Sarraceni, aut pulsi, aut trucidati; Comes vero Rogerius in illius beneficij monumentum perpetuum, tēplum Sanctißimæ Virgini erexit. hæc omnia traditio, rumorque communis testatur. præterea etiam pictura, nam in eadem Virginis æde hæc omnia, quæ diximus, depicta, & ne temporis iniurijs delerentur, refecta sunt. Vtinam clariora monumenta extarent, vt sigillatim quidquid euenerit, distinctius cognosceremus, ex litteris Prioris Cœnobij Sanctæ Mariæ Rauenosæ.





NOSTRA SIGNORA DEL TINDARO
7

DIVA VIRGO
IN CASTELLO TYNDARITANO.




Obilissima olim Ciuitas Tyndaritanæ, quæ à Messenijs supra collem Tyrrheno mari circumfluum, constructa fuit, nunc iam omnino diruta iacet; tantum iuxta antiquam arcem templum extat, in quo antiquissimum Virginis simulacrum ex marmore, magna, vt par est, colitur obseruantia, summusque illi post Drepanitanam Virginem habitus honor, cum ab accolis, tum à remotis populis; ad quam vel ex exteris nationibus multi peregrinatione suscepta concurrunt, hæc effigies admirabilis, admirabili etiam modo eò dicitur peruenisse.

Fama est per manus posteris tradita olim (nihil de tempore liquet) cum nauigium, quo sanctissimum simulacrum aduehebatur, Siciliam circumlegeret, sub ipso Tyndaritano monte constitisse, cum vltra progredi neutiquam posset, & iam fauentibus ventis ab alia regi virtute, clare appareret; nautæ, impellente animos cælesti Numine, statuam Virginis è nauigio deponunt, & ad proximũ templum in colle collocant; qua in re contigit, vt quo in loco primum effigies constituta fuit; ibi illius vestigium imprimeretur, quod quidem in marmorea tabella vnius palmi adhuc ibi asseruatur, reique memoriam seruat; at vero nauis deposito Virginei simulacri onere, reuersisque nautis felicissimo cursu portum tenuit, tantum videlicet Regina omnium hanc sibi expetebat sedem, tantam ex sua Sicilia voluptatem capiebat, vt in ea, etiam cum vi præter rerum, ac naturæ ordinem habitare quodammodo vellet, & ibi maxime coli ab omnibus, vbi tãta Idololatriæ superstitio prius floruerat.

Primum in templi latere sita fuit statua, deinde cum maiores nostri honoratiorem deberi locum Sanctissimæ Matri viderent, sacellum fabricarunt, magnumque fama est in ea translatione miraculum fuisse, nam cum in nouum sacellum translata esset vespere mane, in prima sede, vbi primum fuit posita, inueniebatur; quod vbi non semel visum est, mirum in modum aucta loci religio. quare solemni supplicatione iterata translatio. mirum sane prodi-

glum. vbi ea pompa in nouo facello collocata fuit Virginis statua, non amplius ex eo loco mota, ibique beneficia omnibus elargitur, vt tabellæ miraculorum in templo appensæ fidem faciunt. Festus illius dies quot annis celebratur sexto Idus Septembris, quo tempore ad maiorem celebritatem habentur nundinæ, magnusque mortalium numerus ad eum venerandum confluit.

Ex iuratis testibus auctoritate Episcopi Pactensis.






S. MARIA DI NOVA LVCE DI TRAPANI.



EFFIGIES VIRGINIS DREPANITANÆ. A LVCE NVNCVPATAE.

Anno 1211.



Ntiquiſſima fuit in Sicilia Imago Virginis, à *Luce* dicta, & prima huius nominis, quam reperi, Drepani fuit; nam vt ex anno ſupra Virginis caput adſcripto patet. à 1211. originem duxit. Per multos annos hæc Imago ex interiore parte portæ vrbis manſit, veluti illius tutela, à qua etiam Porta Deiparæ dicta fuit. colebatur pio cultu, & ante illius aſpectum lampades accendebantur. Cum verò ad Vrbis munitionem portam illam deijcere neceſse fuerit, Imago illa (quo fuerit tempore non liquet) ad templum Sanctiſsimæ Virginis à porta appellatæ, quod prope eamdem portam erat, translata fuit; ibique noua prodigia edere, nouaque effundere beneficia cœpit.

Nihil habuimus certi de primo miraculo, tantum retulit P. Nicolaus Galluzzus Cappellanus, & denexa ætate, ſe ab antiquo ſene accepiſse: Illam iconem cuidam Hiſpano oculorum vſum dediſse. Creuit Virginis miraculis Drepanitanorum pietas, adeoque anno 1603. ſanxit Senatus in ampliorem locum illam transferre indicta ſolemni, atque vniuerſali ſupplicatione die Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo dicato: ab ipſis iuratis Patribus Sanctiſſima Virgo delata fuit in Aedem D. Iuliani, vbi nunc eſt. Cum per vias, tum in templo, vbi illuc peruentum eſt, elargita eſt ſua munera immaculata Deipara, nec adhuc à miraculis perpetrandis deſiſtit. Depicta eſt Imago in tabula mediocris ſtaturæ, maioriſque eſt pietatis, quam pulchritudinis. Rubram obtinet veſtem, & cœruleum pallium, diuinam prolem ſuſtinet dextro brachio, & ſiniſtra manu mammam præbet lætanti puellulo, qui tantum album induſium habet, & ſiniſtra manu accenſam facem tenet. in Virginis diademate hæc inſcripta reperiuntur verba. *S. Maria Noua Lucis.* Cauſsa cur à luce appelletur neutiquam illa eſt, quam ſibi nonnulli ſuaſere, quòd cœco lucem oculorum dederit; prius enim eodẽ etiã nomine dicebatur, vt ex inſcriptiòne patet, ſed potius quod Diuinus Puer manu candelam præfert, ſiue quod ad illud Eſter Virginis figuræ alludatur. *Noua lux oriri viſa eſt eis.* ex Eccleſiæ monumentis.

IMA-

Gualterus Cappellanus
Idem iconem ... Hispani
Virginis miracula
Sanctus in amplissimo loco
atque vniversali ... die
dicto : ab ...



LA SS:A VERGINE IMPERLA:
TA DI PALERMO

22



IMAGO DEIPARÆ VIRGINIS, A D. ANGELO PANORMVM ILLATA.

Anno 1219.



ANNO salutis 1219. cum immineret Alexandriæ Barbarorum deuastatio, erat in ea vrbe in Diui Ioannis Baptistæ templo Sanctissimæ Deiparæ imaguncula; quam, Tecla Virgine magni Apostoli Pauli discipula instante, miro deuotionis affectu, S. Lucas depinxerat, ibique cum alijs Sanctorum Reliquijs colebatur. Degebat ijsdem temporibus S. Angelus in Orientis eremo haud inde procul, in qua precibus, & afflictionibus corporis se exercebat: huic igitur Christus Dominus Maternæ gloriæ consulens cum magno Angelorum comitatu apparuit; eum Siciliam petere iubet, vt ibi suum euangelium prædicaret, Martyrij coronam, quam in ea insula parauerat, acceptum iret; præcipit vero, vt prius Romano Pontifici sacras reliquias deferret, quas Athanasius Alexandrinus Patriarcha traderet; cum Sanctissimæ Genitricis imagine.

His acceptis mandatis Angelus Alexandriam relicta eremo contendit: ad Athanasium sese confert, cui Annunciatæ Virginis solemni die, dum post matutinas horas preces Deo fundit, in D. Ioannis Baptistæ templo, ipse Christi prodromus Ioannes adfuit, mandans, vt B. Angelo, B. Virginis Iconem, Hieremiæ caput, brachiū Sanctæ Catharinæ V. M. simul cum illo Sancti Gregorij traderet in Italiam asportanda, priusquam barbarorum furor euerteret Alexandriam: paruit Athanasius, & cum Angelo collocutus, cælestes opes ei tradidit: quibus acceptis D. Angelus Romam adijt ad Pontificem Maximum, expositaque legationis suæ causa, sacras res dedit. Ibi fortè versabatur Fridericus Claramonte B. Athanasij Patriarchæ, quem supra diximus, frater (Panormitanus vterque erat) & apud Pontificem gratiosus, à quo ex ijs reliquijs Sacram Virginis Iconem obtinuit, & ipsi B. Angelo proficiscenti Panormum dedit, vt eo deferret. Vbi nunc inter preciosissima quæque Panormitanæ Ecclesiæ asseruatur, magna cum reuerentia: defer-

tur-

tuique publice in solemnibus supplicationibus. Porro id, quod diximus, multis testibus, & argumentis comprobatum, repositumque in actis publicis ab Illustrissimo D. Didaco Archiepiscopo Panormitano anno 1597. De ea Diuus Thomas Belloroscus: & D. Io. Bapt. la Rosa Canonicus Panormitanus in vita S. Angeli Martyris cap. 12. 20. 30. ex ea, quam scripsit Enoch Patriarcha Hierosolymitanus.



DO



NOSTRA SIGNORA DI TRAPANI.



DOMINA NOSTRA DREPANITANA.

Anno 1253.



REPANVM honesta, ac munita Ciuitas, quà Siciliæ fines ad occasum vergunt, Chersoneso imposita, in Lilybæum sinuatur, vnde illi vocabulum curuo a litore, in morem falcis. Antiquissima est, sed obscura origine, eoque Authoribus varia super vrbis vetustate tradētibus, Portu nobilis, fœcundo mari, ac ditibus circum terris, sed maiore ambitu carminibus Virgilij celebrata, Aeneæ Troiani accessu, Anchisæ Patris sepulcro, cui solemnia funerum eo in littore persoluta, & proximo Erycinæ Veneris templo. Sed nihil æque, vt Drepanum Cælo exæquem, me mouet, quam delectam, cæterisq; Regni vrbibus prælatam, quam suorum opum Regiam, quam suo nomine inclytam, vellet Deipara. Quantum enim in Drepani gloria est, Dei matrem cognomento eius augeri, obstrictisq;in vnū nominibus, appellari Virginem Drepanitanā? Iam vero addituri loco decus, aduentum eius molimur, nota famā, maximeq; fida memorantes.

Omnes consentiunt Effigiem Virginis Drepanitanæ, turbato Oriente Saracenorum armis, nostras in terras ex Syria vectam. Qua ex Vrbe ad nos transierit, nemo perhibet, de tempore, aduentuq; ambiguum, variaq; in vulgus fama, quod nullus sit scriptor origini propior, deq: ea nihil à maioribus traditum esse mirum, & indignum fuit: forte historia interijt, tabulario Drepanitani Cœnobij ante plures annos deusto? In multis sane fama errat, sed quæ subscribo mihi verosimiliora visa sunt.

Imperitante Friderico Rege Siciliæ, hostis Sarracenus, capta vrbe Hierosolymorum, victore exercitu, in Syriā debaccabatur exscindendo vrbes, concremando templa, sacra pessum dando; Neq; erat qui ferociam cohiberet, contraq; iret. Enim vero nullæ tunc opes Orienti, in Occidente Spes, Quis hic Principum Christianorum id decus excelso animo capesseret? Alios æmulatus discordijs imbuerant, aliorum, publica circa decora, Religionesq; ingens socordia. Ita distractis nostrorum viribus, aut malum in otium resolutis, Hierosolymitani Sepulchri recuperatio, bellumq; Syriacū, non sine infamia temporum, sine cura habebantur. Factum ex eo,

vt pleraq; Diuum corpora, imagineſque vetuſta religione, ne inter ambigua bellorum linquerentur, in Occidentem tranſlata ſint.

Ea ergo tempeſtate erat in Syriæ præfectura eques Templarius, genere Italus, apud quem hæc effigies Sanctiſſimæ Virginis habebatur in templo, quod à Magiſtro Ordinis commendatum acceperat. Igitur Guerregius (id enim nomen equitis, ſi Orlandini fides) cum animo reputans, hinc, Cæleſtis iræ minas Orientem olim fidei exemplum, iam perfidiæ, ſæuis hoſtibus in vltionem dari: inde cuncta in Sarracenum proſpere fluere, ſimul imbutas odio mentes aduerſus Chriſtiana inſtituta; ſubibat ingens metus, ne Religioſiſſimum Simulacrum Victori barbaro ludibrium impio ferro temeraretur. Ergo ſceleſtis armis, & iniuria procul habendum ratus, naui imponit, feliciores in terras iturum. Piſas Vrbem Italiæ miſſum ferunt, vnde Equiti origo; At Cælum, & mare & irati venti nos iuuere, & ipſa potiſſimum Virgo Cæli, mariſq; ac ventorum potens, quorum valido impulſu nauis in pelagus rapta, quod Africam, & Siciliam inter, vadiſq; infeſtis Libiæ vitatis, amica littora petebantur, ſed tenendi adempta ſpes, vrgente violentia ventorum, iam prope naufragium nauis. Igitur leuando alueo merces in mare proijciuntur, quæ Drepanitanam ad oram, ſecundante tempeſtate, deferebantur. Haud Drepano procul, in mari, quod, indito nomine, ex reperta in eo effigie adhuc Sanctum appellant, ſuperfluentem arcam aduertere Piſcatores, plenamq; mercium exiſtimãtes, traxere in littus, quod proximum ædi Diuorum Coſmæ, ac Damiani. Effringunt auidi, aſpectoque Dei Matris ſimulacro marmoreo, lætum id Regno, Vrbiq; gratantur, multo ditiores opes inueniſſe rati, quam ſperaſſent. Hæc qui legerint, veniam dabunt, in Oratorum ſtylum irrupiſſe, ſeriemq; rerum interruptam nimio amore Virginis defendent; temperare non poſſum, quin eam in laudes, grateſque.

Aduentum tuum, Domina, Siciliæ gratulor: mœrentes, afflictos, egentes opis vltro viſere dignata es. Immenſæ benignitati tuæ gratias habemus, dum vox, dum Sicilia erit, habitori. Læti Accolæ ſubiectiq; Reginam Siciliæ te veneramur. Noſtra omnia, hoc vno nomine tibi obnoxia ſũt. ſed hic titulus te minor eſt, cui orbis terrarum, Cælumq; obedit.

Quid

Quid? Omnia mortalia infra honores tuos. At nos, quantum possumus, honoris tribuimus. Quod si pro tua lenitate acceperis, magnũ erit; Attamen, qualecumq; illud est, augeat amor, & nostra in te studia. Quidquid est Vrbium, Oppidorum, Arcium, portuum venientem consalutant, certum omnibus, augendo Siciliæ decori venisse, eidemq; tutandi aduersum hostes, & ingruentia malorum. Atque aduenisse tecum lætitiam, claritudinem, præsidium. Omnia in te vna adepti sumus. Ipsi montes, & flumina, & Siluæ, & agri nouam vbertatem deferenti plaudunt. Oramus, Bona Regina, gratiam tuam. Tuæ iustitiæ fuit terras perfidia temeratas liquisse; clementiæ, nostras gratuito adire. Has ne deserendi casus detur, piare velis, tuoq; descensu sacratiores facere. Hinc lætum omen futurorum accipimus, nostrum in solum vltro venisse. Enimuero confidimus, vbi tam magna numquam expetita, nec cogitata sponte concesseris, longe maiora iuste acriterq; expetentibus, multoq: largius concessura. Id primum impẽsiusq; te ipsam, tuiq; donum, dum mũdus erit, penes nos æternum precamur.

Sed ad narrationem reuertamur. Quod auditum mihi, iuxtaq; creditum, illud fuit, Effigiem ipso in littore haud sine miraculo reclusam. Etenim, iam Drepanum fama pertulerat, repertum in mari simulacrum Virginis. Pulchritudo eius, ac miracula narrabantur. Auditis, decurri ad littus, & plerique ægrotantiũ viso, tactoue, morbis erepti sunt. Hinc autẽ Imagini veneratio, & flagrãtior deferendi in vrbẽ cõsensus. Quod promptũ, imponũt plaustro, qui affluxerant ex Sacerdotibus, populoq; comitantibus. Vbi ventum ad ædem Carmelitanorũ cui Annunciatæ Virginis, nomen, boues effigiem sistunt, neq; perstimulantium telis, nec multo verbere, aut vlla vi, moueri loco, tanquam fixi aduersum vrgentes retinerentur. Idque animantium natura brutum detrectare iter videri, quasi vetitum à Virgine, intelligeret. Tum demum omnes mentem diuinæ matris introspexere, vltroq; venientem templo inferunt. Simul attollitur exultantium clamor, laudes, gratesq; aduenienti Virgini habentium, cælumq; & campus acclamationibus festis, proxima quoq; saltuum, & subiecta littorum complebantur. Exin Drepanum nauis appulsa, prodigiis crebescentibus; eaq; Nauarcho relinquendæ statuæ necessitatem

 attulere;

attulere. Sic Carmelitarum templo cessit, obliuione, an dono eius, cuius esset, incertum.

Iam vero honestissimæ mortalium cupidini faciendum mihi satis, pernoscendi simulacrum. Drepanitanæ Virginis effigies in pedes stantis, & basi nixæ nobilissimum opus è marmore Cyprio læuo brachio diuinum Infantem sustinens, læuam eius altera manu sublatam defixa miratur: At puer ora in matrem intendens dextro brachiolo supra pectus reiecto totam haurit: Tunica Virginis in muliebrem morem fluxa, etiam pedes tegit vestis exterior floribus ex auro pictis modice spargitur. Nec præstringente nodo, sed filio incumbente, collecti vestium sinus retinentur, decore cadentes. Crepidinibus palliorum Infantis, Matrisq; Chaldaicæ litteræ auro illinuntur. Hæ diutius in obscuro Chaldeorum litteraturæ rudibus, donec fama Virginis Drepanum traxit, qui patrium sermonem interpretarentur Armenios. quiq; terras Babyloniæ contiguas colunt, quibus auctoribus reddita Imagini lux, visiq; rursus accepisse eius occulta discendo.

Cognitum est enim in margine pallij, quò puer obuoluitur cingulo tenus in hanc sententiam circumscriptum. DEVM MAGNVM, SPECIE PARVVLVM, ATQVE IVCVNDVM SALVTATE. Ad pectus Virginis orbis est ornatu pulcherrimo inscriptis intra verbis. ECCE ANCILLA DOMINI. In eiusdem læuæ vestis ora hæc incisa. HANC CREDO DEI MAGNAM MATREM ESSE. Dextraq; ex parte Anno IↃCCXXX. August.... Numerorum notas, quo annus supra IↃCCXXX. designabatur, diesq; mensis certus, vetustas obliterauit tenui damno. Haud ambigitur, absoluti simulacri annum IↃCCXXXIX. protendi summum potuisse. Diem Orlandinus, vt certam prodit, quo assumpta in Cælum Virgo ad XVIII. Calendas Septembris. Argumentum ex eo, quod isto die plurima miracula patrantur. Sed haud tanta securitate firmandum, quod non nisi in incerto piæ coniecturæ nititur, & aliæ Miraculorum caussæ sunt. Neque exequi nostrum est.

Pone tergum, ima statua, legitur absolutam sculptamq; in ENDITHET CYPRI OPPIDO. Sed formæ litterarum ad pectus Virginis extremoque vestis aduersæ eæ sunt, quæ veterrimis Chaldæorum vsurpabantur Cæteræ vero sunt illæ, quas sequens ætas vulgauit. Nec omittendum, interius pallium à tergo his in-

in-

inscriptum. EGO DEI SERVVS SACERDOS; QVÆ GLADIO RECENS INCISA A SACERDOTE ARMENIORVM, QVI HVC PEREGRINATVM VENISSET.

Cæterum effigies admirabili candore Alabastum anteiens, decore eximio, & maiore, quam humano opere, manuq; addi quiuerit. Omnino non sine ope Cælestium facta. Atq; eo oris habitu, vt quoquo versum flexeris, in te oculorum obtutus intendi, sentias, siue aduersam, siue ex aræ cornibus aspicientem. Non desunt, qui moneant, simulacri speciem, candoremq; Cęli instar, violari non posse; tot enim ante lampadibus, lychnisq; ardentibus, nihil hactenus, miraculo, infectum, cum longiora marmorũ, quibus sacrarium Virginis adornatur, fumum bibant. Hic non prætermiserim raram vocem Henrici Henriquez Comitis Albæ de Alista Siciliam pro Rege obtinentis, præconiumq; de Virgine Drepanitana: qui, cum Drepanum venisset, visendæ Virginis, spectans effigiem decore cælesti, vixq; credendo, permouente animum pietate, lætitiaq; ita est prolocutus. Cupientibus videre pulcriorem, in cælum abeundum est.

Porrò frequentissima à Sanctissima Virgine Drepanitana prodiere miracula. Duo ego subnectam dumtaxat. Anno post Christum natum 1571. nauem cognomento Epidauriam Petri Xirottæ sæua tempestas perculit in Salernitano sinu. Iam perforata carina, violenter irrumpebant vndæ, exhaurientium officia superantes: non aliud, desperatis rebus subsidium quam memoria Virginis Drepanitanæ fuit. Illi nauis committitur, cuius dominatio ab infero ad nouissimum mare. Statim eius inuocato nomine, factoq; voto, salus allata. Sed ignaris adhuc qua ope subuentum fuerit, donec in portum Drepanitanum appellerentur. Tum cognitum, prouisu Dominæ maris, pisces duos in aperta nauis immissos, qui miraculo arcebant fluctus, ac certa mortis. Ingressi templum Nautæ Virginem laudibus, gratijsq; venerantes, cuius benignitate naufragium euasissent. Suspensi pro templo ijdem pisces, qui posteris facinus memorandum testarentur. Visuntur, adhuc nouum seruatæ nauis exẽplum, properæ opis Diuinæ Parẽtis æternũ decus, nec potẽt æ aut benignitati Virginis insolitum.

Huic adnectatur proprius simulacro prodigium alterũ. Olim, quoties arsisset bello Prouincia internisue discordijs, ob imminentia casuum, effigiem in vrbem Drepanum reuehi solitã accepimus, experimento quidem notabili, nam illi, vt ferunt, in vrbem cum

trahe-

traherent graue pondus, ac tarditas, contra regredienti suam in sedem mira leuitas, eò reportantiũ, ac si ipsa raperet agminibus citis. Olim, inquam, effigies, intecto Carpento in vrbem reuehebatur, promiscuo cętu trahentium.

Post vbi impudentium tractu, quati currus, & simulacrum vibrabatur, corrumpendi metus instantior cura fuit: aucta quoque Virgini veneratio: Quare ferculo superpositam gestant humeris Sacerdotes, viriq; Principes, iuuant bus nautis. Illa ne tempora simulacri oculos, ac supercilia paululum attriuere? Vnde intendendi gloriam Virginis, locus fuit.

Præerat ei Cœnobio Ægidius Honestus, à quo accepimus, Sacerdos præclaræ fidei, multaq; inter suos auctoritate. Cui primores domus circumsistunt. esse Drepani viros celebres, qui pingendi scalpendiq; artes exercerent; vellet, quod ipsam Reginam velle intelligerent omnes; suam pulchritudinem sibi reddi. Rogant, vteretur Artificibus; quos sors daret: simulacri corrupta componi iuberet. Præfectus formidolosior abnuere, contraq; obniti, offendi Virginem ratus, si profanis adtrectaretur. Ecquem non indignum ministerio tali? Illi vim precum intendendo, peruicere. Iam viri insignes electi: quos Præfectus hortatus est, magnum opus animo reputarent prius mentibus, quam docta manu aggrediendum. Statuitur dies. & Artifices animi maculas eluere, eosq; Cœnobio Præfectus ad aram Virginis sacris operatus, diuino pane firmauit. Post sacrificia, precesq; Artifices ascendunt arã. Ibi paululũ attoniti hælere: & velut immobili dextra. Demum vbi astantium voces metũ subleuauere, pingere oculos pencillo adorti; sed absumebatur dies, irritis laborum, ac spei; eoq; inutilior cura, quo magis pingendo intenderetur. Quin cernebantur Virginis oculi minaces, ac turbidi, quasi à præsentibus absterrerent, perpellerentq; omitti facinus. Igitur Artifices, & qui aderant Sacerdotes, omnes pari metu cõplentur, quibus irata Virgine, æternum supplicium portendi visũ. simul qui oculis per colores medebantur, exitium metuentes, reliquere inceptum, aramque. Præfectus, primoresque familiæ, cæterque omnes fusi humi, misericordiam verbis exposcentes. Ignosce, Benignitatis Mater, non huc adductos malis artibus, non proiectam Dignitatẽ Dei Matris: amore pulchritudinis tuæ cuncta perpetrata; addi decus cupido erat: formam Reginæ intendere, se concupiuisse. Quod tibi cum offensione acceptum, & temeritatis veniam lacrimis precabantur, visum


adhuc

adhuc trucem, & in supplicia erupturum pauentes.

Eo in metu simul mærebant, quod simulacrum, per addita colorum temerasse videbantur, amissa ferme spe perficiendi operis, quod Magistri, iram Virginis metuentes, reliquerant. Igitur labem amoliri à visu cupientes, post lacrimas, ac suscepta Virgini vota, clementiam eius experiri statuunt. Rursus periti artis instantium Sacerdotum obsecrationibus, recepti in aram, quo propius pingentium studia deterrebantur. His tamen omni ope contendentibus, nihil perpetrabatur. Effigies terribilior videri, trucesq; oculos in astantes intorquens, facinus obijciendo, minitandoq; exitium supremum. Rursus ad subsidia precum, flagranterq; vota multiplicabantur: Horas duas orando, flendo, continuauere. Tādem placata his Virgine, facinori formidabili lætior finis fuit.

Medendis oculis tertium admotis, inducti primum colores in manus pictorum vltro decidere, mansitq; Simulacrum perinde pigmentis intactum. Actæ Virgini grates, aucto in effigiem metu, eiusq; numinis veneratione. Etiam coloribus honor fuit, sacrario illatis.

Quod à me relatum est, in Commentarijs rerum Cœnobij perscripsere.



B.VIR.

[illegible] ſtare ſe per [illegible]
[illegible] Virgine [illegible] ſed quantum [illegible]
[illegible] Rurſus [illegible]
[illegible] in aram, quo prop [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] tum [illegible]
multiplicabantur. [illegible]
de placata his Virgine, [illegible]

[illegible] dis oculis certiùs [illegible]
in [illegible] pictorum vitro [illegible]
[illegible] pigmentis intact [illegible]
[illegible] effigiem [illegible]
[illegible] venerat [illegible]. Etiam coloribus honor
fuit, ſacrario illatis.
Quod à me relatum eſt, in Commentarijs
rerum Cœnobij perſcripſere.


S. MARIA DELL' ALTO
IN MESSINA. II



BEATA VIRGO MESSANENSIS IN MONTE ALTO.

Anno Christi 1294.



MESSANÆ in eo colle, cui Capperina nomen ad eam vrbis partem, quæ occasum spectat, ex aduerso antiquæ arcis Orionis, nunc *Matagrifone* corrupta voce appellatæ, ædicula erat Diuo Angelo Gabrieli dicata; in ea duo religiosi viri collectitia stipe pauperem austeramque vitā degebāt; horum alteri, qui Nicolaus appellabatur, D. Virgo Maria per quietem visa præcipit, vt prima luce Messanensem Magistratum adiret, suoque nomine diceret, se eum collem amare, ibique habitare velle, proinde templum sibi ædificarent sub nomine Sanctæ Mariæ ab alto. Experrectus Nicolaus visa noctis proximæ secum recolere aggressus, vana somnia credidit, atque inania mentis phantasmata, quare nulla illis fide habita ad Magistratus ire neglexit. Sequente vero nocte rursus Beata Virgo subirato vultu se obtulit, increpuitq; quod sua iussa exequi contempsisset, comminatur etiam, si rursus monita paruifaciat magno illi staturum. Tum ille, ecquænam, inquit, mihi pauperi apud magnos viros fides vero? dic, infit Virgo, hæc afferre signa poscētibus, vt certi sint me hic adfuturam fauturamque huic colli, sub meridiem nitidissimam columbam è cœlo deuolaturam, quæ tantum spatij volatu suo circumscribet quantam templi amplitudinem volo; Nicolaus, vt illuxit, non iam vt prius rem inanem ratus, subito ad iuratos Patres accurrit, quidquid sanctissima Virgo fuerit loquuta, & de templo, & de futuro columbæ aduentu enarrat.

Magistratus de cōmuni cōsilio ad mōtē condicta hora cōscendūt; confluit etiam promiscua multitudo ciuium, quæ tantæ expectationis fama excita fuerat. Nec sane expectatio frustrata est; nam dum ibi commorantur, ecce tibi meridiano tempore delapsa columba, vt dictum fuerat, area Virginis Templo describit, & veluti Dominæ iussa exequuta, rursus transuolat in sublime: Magistratus Columbæ sequutus ductum, & ipse Templi circuitum designauere: Post tātæ rei euentum, Nicolaus ad arcem Matagrifonem contendit, vt Reginæ Constantiæ aperiret omnia; dum vero quæ euenerant mira-

coram exposuit, quædam ex puellis regijs incredula, Constantiæ suasit, ne Nicolai verbis fidem haberet, quippe qui narrandis identidem miraculis stipem sibi, pauperum more, quæreret. Mirum dictu: non ea impune proloquuta, nam vtrumque puella brachium vehementi dolore correptum exaruit; adeò vt à clamoribus se abstinere non potuerit. Tum Nicolaus spem facit, si iam suo docta exemplo crederet, quæ fuerant à se exposita, conualituram. Respondit puella, verissime credo, quidquid de Sanctissima Virgine dixisti, & repente credenti pristina sanitas B. Matris benignitate fuit restituta.

Mox, apertis fundamētis Regina Constātia, cum magno regio comitatu, cunctis proprijs manibus ad Reginæ exēplū lapides cōportantibus, Capperinæ montem conscendit, primumq; ipsamet, quem tulerat in fundamenta lapidem iecit; subinde reliqua hominum, ac mulierum multitudo sua, quisque saxa coniecit, tantusque fuit omnium ardor, vt breui templum confectum fuerit. Extat hæc historia in eodem templo in tabella descripta à Matthæo Rubino Messanēsi Notario Regio, quem à sua matre, atque auia eam accepisse testatur; quæ sane fœminę columbæ descendentis prodigio interfuere. Iam vero Virginem Sanctissimam cultricem fuisse, & custodem illius collis, quod dicam plane ostendet. Etenim cum Robertus Rex Messanam obsideret, ex mœnibus ante templum in eo colle Virgo Deipara se visendam hostibus obtulit vexillum manu extollentem; quo sane visu illi perterriti profugere, at Magistratus tanti beneficij memoriam anniuersaria celebritate ad 6. Idus Sept. multis per vrbem ignibus, facibusque celebrandam decreuit: lapsu temporis Virginum collegium ædi adiunctum, quæ dies, noctesque Virginis laudes canerent, eiusque cultum pie, casteque curarent. Ex tabella in tēplo descripta retulit hoc miraculū Ioseph Bonfilius in sua Messana lib. 3.



D. VIR.


12.
S. MARIA DI PORTO SALVO DI PALERMO.
15
Io: Frid: Gr: sc.



D. VIRGO PANORMITANA A PORTV SALVO.

Anno 1524.



NON procul ab æde Virginis à Catena, Templum aliud est Panormi etiã Sãctissimę Deiparę dicatũ sub nomine D. Mariæ à Portusaluo, quod Siculas Triremes ab vndis eripuerit, & ad portum deduxerit integras. idque ità traditur euenisse. Cum nostræ Triremes Africæ maritimam oram populatę fęliciter in Siciliam reuerterentur, tam atrox coorta tempestas, vt paullatim magis, magisque ventis, vndisque vesanientibus, ad vltimum discrimen adduxerit vniuersam classem; desperabant iam omnes salutem, & mortem in horas pene vndis obruti expectabant. Dux classis, cum nullam, nec in arte, nec virtute humana spem salutis videret reliquam, ad Sanctissimæ Dei Genitricis Matrem cœlestium donorum thesaurum confugit. Nec morata est prępotens omnium Regina, sed suam illico opem tulit. quippè non suo tantum iussu tranquillare turbatum pelagus voluit, sed ipsamet videndam se præbuit ex Regiæ triremis specula, quæ aurea circumamicta luce tenebras, nubesque pellebat; quieuerunt repente rabiosi venti, consedit mare, & ita pacatis omnibus secundum immittit ventum de thesauris suis: non tamen prius ex ea, quã diximus, specula pedẽ extulit, quam naues omnes incolumes ad Panormitanũ portum deduxerit, ibique tandem euanuit.

Dux ob acceptum beneficium Virgini se obnoxium videns, non vexillum modo Virgini dedicat, sed eam eo pacto depingendam curat, quo à se visa fuerat ad triremis malum, & ad rei monumentum, sub antiquum arcum prope portum. Semper deinde nautica gens eò confluxit prodigio commota; editisq; etiã miraculis à Deipara, aucta deuotio omnium, templum Sanctissimæ Matri erectum, quod ab ereptis triremibus à Portusaluo nuncupatum fuit, & nunc integrum visitur.

Ex monumentis eius Ecclesiæ.

ON... Virginis à Cerera, Templum [illegible]

[illegible]

... Nec inorata est, ... quippe non suo tantum ... [illegible]

... F ...



S. MARIA DEL SOCCORSO IN S.^{to} AGOSTINO
DI PALERMO
11

DIVA VIRGO PANORMITANA

A SVCCVRSV.

Anno 1306.



FVIT Panormi in æde sacra D. August. cui etiam cœnobium adiunctum est sub eiusdem D. August. disciplina, antiqua effigies B. Virg. cui deinde à *Succursu* nomen inditum ab eo, quod hic adscribam. Iracunda erat mulier. quæ sui simillimũ filium pepererat; quæ cum sæpius bili percita in filium inueheretur, cacodæmonem identidem, vt eum sibi arriperet, aduocabat, Quadã die, dum stygium hostem vehementius inuocaret, pro vt pessimus illi mos fuerat, adfuit tartarea larua obtorto vncino, vt puerum, quem mater dabat, auferret. Vbi rem mulier, quod furore stimulata dixerat, ad factum cessisse videt, exanimata horribili visu exclamat, Tuam Opem Deipara: Ad hæc B. Virgo humanam impotentiam miserata, præsens ibi visa est cum fuste, vt fœdum hostem verberibus abigeret; puer verò vt cœlestem Matrem vidit exanimis ad eam accurrit, extremamque vestem prehendit, nec multo post euanuit B. Virgo, expulso iam Dæmone: forte deinde mulier S. Aug. templum ingressa, Virginis, quam viderat agnouit effigiem, remque publice, vt euenerat, enarrauit: hinc deinde factum est, vt in huiusmodi Imagine B. Virginis læua Demon appingeretur, qui fuste depellitur à Sãctissima Matre: dextra verò puer, qui dum ad Virginem accurrit, eius patrocinio protegitur.

Verum huius nominis origo non hinc, sed antea ab alio miraculo fuisse traditur exorta; postquam enim summus Pontifex Benedictus XI. ex D. Dominici familia candidum habitum auferre voluit religioni, Frater quidam Theologus, & illustris concionator Nicolaus Brunus Prior S. August. in Vrbe Panormitana, cum vexaretur lateris dolore sæpius Sanctissimæ Dei parentis Iconi, quæ in sacello sub titulo D. Martini sita erat, se se commendabat, vti sibi succurreret. Euenit autem quadam nocte, vt ea ipsa, quam venerabatur, Virgo Deipara adfuerit illi, & in somnis sanitatem restituit, & præcepit, vt quando à se tam enixe succursum petierat, sub eo nomine ab alijs inuocandam curaret; euanuit species, & ille, sanitate accepta, rē

pro

pro cõcione pluribus, vt par erat, enarrauit, magna populi frequentia; quare subsecuta deinde passim miracula.

Illustris. Senatus Panormitanus, idemq; Frater Nicolaus diligẽtissime perscripsere.

Donum Zonæ Argenteæ, qua Puella Panormitana à Sanctissima Deipara præcincta est.

Anno 1504.

Panormi Virgo quædam erat erga Virginem apprime pia, quæ adeo membris omnibus ægra erat, vt ne moueri quidem posset, annos decem, & septem; quare omnibus, & amicis, & propinquis molesta erat; summa tamen ipsa patientia ferebat omnia, & quando toto corpore non posset, saltem lingua, & assiduis laudabat canticis, & identidem Deiparam inuocabat. Quodam igitur die sub Auroram apparuit illi Virgo Deipara, & ab ea expergefacta petijt quidnam à se toties auxilium imploraret; respondit adhæc mulier. Nihil aliud Domina, nisi vt tibi toto corde seruiam: illico liberalissima Dei Genitrix Zonam argenteam, qua cingebatur, soluit & illi tradidit, monuitque, nusquam illam solutum iri, nisi in templo, in quo sui similis esset effigies. Orto sole per summam omnium admirationem surrexit ægrota, remque parentibus enarrauit.

Igitur per totam vrbẽ perrexit, vt omnia inuiseret tẽpla. Tandẽ D. Aug. tẽplũ ingressa, Virginis imaginẽ, quã diximus similẽ visæ Deiparę animaduertit. Ad rei miraculũ conuocata à Priore religiosa familia, petijt ab eo mulier vti fratres omnes cõuocaret; respõdit ille, Præter eos, quos in templo videret, neminẽ esse præter ægrotum, qui à lecto surgere vigintiquatuor ipsos annos nequaquã potuit: is tamen accitus, siue potius allatus (Cataldus illi nomen erat; Virgini multum deuotus) visa muliere gauisus est, motisque manibus ad Zonam, qua diuinitus præcincta illa fuerat, illico eam soluit. & vterque sanus euasit. Ob tam insigne miraculum Virgini grates actæ, pulsatæ campanæ, hymnus *Te Deum laudamus* decantatus.

Ex antiqua Cœnobij, populiq; Panormitani traditione, & pietate in Virg. Mariam, cuius in templo miraculi memoria extat.

IMA-



S. MARIA DELLA SCALA DI MESSINA.



IMAGO DEI GENITRICIS A SCALIS, MESSANÆ.

Anno 1220.



REGE Siciliæ Friderico, secundis ventis nauigium appulit Messanam ex Palestinæ regionibus in quo sacra Virginis Imago in tabula depicta ferebatur, siue à nautis clam subrepta, siue in aliquam vrbem destinata; verum simul atque mercatores res suas Messanę, vt collibitum fuit, transegere, sublatis anchoris vela omnia ventis explicant; sed en tibi perinde ac mille funibus reuinceretur nauis, immobilis, in modum scopuli, hærebat; nautæ rei nouitate attoniti, vt omnia experirentur, triremes adhibent, si quomodo possent remigij impulsu nauem protrahere. Sed quid vnquam conetur humana vis contra Virginis nutum? Loco moueri nauigium nulla ratione potuit.

Nauarchus, ceterique omnes, qui naui vehebantur commoti prodigio, in eam cogitationem venerunt, vt arbitrarentur Virginis Effigium, quam ferebant, Messanam neutiquam velle relinquere, sed eam sibi sedem deligere, ibique commorari gratum esse: quare cum necessitate coacti, tum religione impulsi: ne Virgini obsisterent, rem aperiunt præsuli, & ille Regi: & iam per vrbem, & miraculi, & illius caussæ sparso rumore, ad littus solemni pompa proceditur, extructoque ad id ponte ad portam, quam Regalem appellaut, qui nauis altitudinem exæquaret, pictam Virginis tabulam magna cum reuerentia deferunt; hymnis laudibusque Deiparæ ora maritima personante: vbi verò nauis sacro, quo premebatur pondere, leuata fuit illico progredi visa est.

Nouum priori additum prodigium. In loco prope litus sita fuit, ibi adeò fixa stetit, vt magna vi adhibita, ac si esset ænea, moueri nullo pacto potuerit; cumque super ea re consilium haberetur ab antistite, Rege, ac proceribus, decretum de communi sententia fuit, vt quemadmodum olim Philistæi de Arca Domini fecerunt, ita prodigiosa tabula in plaustro poneretur, relictisque sine duce bobus, quocumque ducerent, sequerentur; igitur exornato pretiosis vestibus plaustro sacra effigies collocata, bobusque vltro progredientibus,

leuis

leuis iam effecta tabula per torrentis alueum, qui est ad imos colles (vulgo Sanritius dicuntur) conuecta est. Ibi templum erat Virgini sacrum sub nomine S. Mariæ à Valle, eiq; cœnobium adiunctū sacrarum virginum sub D. Benedicti disciplina; quò cum peruenissent boues, fixis pedibus, lætosque emittentes mugitus significare videbantur, eum esse locum, quem Præpotens Dei Filius Dilectæ Matri præparauerat. Igitur ab antistite cum Clero summo gaudio, plausuque populi, in illa æde sita fuit sacra tabula, deinde verò ædes, non amplius sub nomine S. Mariæ à Valle, sed Sanctissimæ Deiparæ à Scalis, propterea quod in prodigiosa, quam diximus, Icone scalæ appictæ erant ad latus, perinde quasi significarent veras cœlorum Scalas Sanctissimam esse Dei genetricem; vbi apud omnes in magno cultu habita est; & pro se quisque dona misit acceptarum gratiarum insignia.

Nam Cypri Regina ad hoc cœnobium de Scalis multa, quæ vouerat munera amplissima misit. Francorum itidem Regina ob accepta beneficia à deipara Virgine arculam Sanctorum Reliquijs plenam dono dedit, in qua inter alias ex veste, quam tulerat S. Clara, inerat particula, & S. Mariæ ab Angelis icuncula, quam S. Patriarcha Franciscus in pectore quondam gestasse fertur. Hæc capsula semper clausa seruabatur, nisi cum Litaniæ Sanctorū decantarentur, quibus absolutis à se ipsa claudebatur. Nec inter Christianas tantum Reginas hæc Sanctissima Icon culta est, sed etiam ab ipsa Turcharum Imperatrice donata fuit pretiosissima culcitra ex auro, in accepti beneficij memoriam.

Tantum etiam apud barbaras gentes, & infideles Virginis dextera valuit. Iam verò hæc quæ diximus ab Archiepiscopo Panormitano Octauio Preconio scripta sunt, & in officio de eadem Virgine compilata anno 1569. & ex eo Ioseph Bonfilius in Messana lib. 4.

S. MA-




S. MARIA DELLA CATENA

16 *Alla Marina di Palermo.* F. Gr. sc.

S. MARIA A CATENIS PANORMI.

Anno 1390.



VM Siciliæ regimen Martinus administraret; tres capitis damnati fuerant, & iam à Satellitio ad furcas ducebantur, quæ non procul ab ora maritima in amplissima platea, etiam adhuc extant, cum Virgo Deipara siue illorum innocentia commota, seu peculiari erga eos pietate miserata, qui patibulo erant proximi, suo potenti nutu imbriferis nubibus cœlum obduxit; quare ingens coorta pluuia fulguribus, tonitruisque horribilis, cum quisq; ex satellitibus perquireret quò confugeret, impedimento fuit, quo minus illi supplicio fuerint affecti, nam omnes propinquum sacellum almæ Virginis, cui tunc nomen erat. S. Maria à portu, propterea quod ad dexteram portus partem situm erat, subeunt; eo noxij introducti ex ipsomet pijssimæ matris sacello spem cœpere mortis euitandæ; Itaque, dum ingruit quam maxime pluuia, fundendis illi precibus operam tradunt. Necesse fuit ob nimiam procellæ vim, & quod reliquum diei fuerat, & sequentem noctem ibi degere; quare multiplicata custodia. additæque miseris catenæ.


Sed quæ vnquam vincula obstent Deiparæ dexteræ? adfuit magnæ matris auxilium noctu, & dum fisi custodes somnum capiunt, miseri illi catenis onusti ante cœlestem Reginam prostrati, lacrymis, precibusque ex corde fusis pacem Virgini exposcunt, & libertatem à vinculis. Ecce autem, intempesta nocte, sine vllo strepitu sponte catenæ omnes cecidere, eodemque ipso temporis momento aperta ianua sacelli, & vox videbatur à sacra Imagine emitti: Abite iam liberi, nec in posterum timeatis, etenim annuit meis precibus filius, quem in vlnis gesto, & vos è vinculis exemit. Liberi illi euadunt; non latebras aut latibula petentes, sed palam Virginis beneficium testaturi per vrbem incedunt. Experrecti sub Solis ortum custodes, vbi relictas tantum catenas, apertasque fores conspiciunt, rerum ignari, quæ euenerant, ad perquirendos noxios, erumpunt; capti rursus iam liberi rei ad præsidem ducuntur, qui ordine, vt ope Virginis liberati fuissent, intrepidi enarrant: rei omnes admiratione commoti, Martino Regi omnia deferunt.

Interea vulgata per vrbem miraculi fama, nouo erga Virginem

ardore succensus populus ad Deiparæ ædiculam concurrit, multique mortales affecti morbis sani, ope Virginis, domum rediere; ipse Rex cum coniuge ad sacram Iconem pergunt, reosque omni supplicio absoluunt. Commutatum deinde nomen sacræ Imagini, & ab exemptis vinculis, Diua Virgo à Catena, nuncupata. Nouum constructum templum eximia illis temporibus architectura, quod adhuc integrum visitur multis Porphyreticis columnis nobile, nec vnquam destitit suas omnibus opes elargiri Beata Virgo: vnde institutum mansit, vt supplicationes ad impetrandam pluuiam, ad hoc templū concurrant: multæ præterea per vniuersam Siciliam ædes constructæ eiusdem Virginis à Catena nomine. Huius rei quotannis xv. Kal. Semptembris dies festus agebatur, extatq; in Virginis sacello miraculi pictura cum hoc

Epigrammate.

Cum male tres fuerint Martini tempore Regis
Producti ad furcas, grandine & imbre pluit
Misit in hanc Mariæ portus tunc Virginis ædem
Damnatos Vindex: labitur inde dies.
Nocte rogant Mariæ Numen: cecidere catenæ;
Atque soporatis omnibus, æde meant.
Liberat hos veri rex conscius: vnde catenæ
Virginis hoc templum non sine laude notant.







NOSTRA SIG.[ra] DELLA GRATIA
In S. Agata la Guilla di Palermo
17

IMAGO VIRGINIS PANORMITANÆ A VILLA.

Anno 1482.



ANORMI ſacra eſt ædes D. Agathæ Virginis, & & Martyris, appellata à Villa, quod eo loco S. Agathæ villam fuiſſe, fama eſt. Ea in æde imago erat Virginis Genitricis Diuinum Infantem geſtantis. Anno autem ſalutis 1482. vir quidam aleæ apprime deditus, cum neſcio quam pecuniam ludens diſſipaſſet, templum ingreſſus ira inflammatus, furenſque impium pugionem in imaginem contorſit, & Sanctiſſimæ Matris Diuinique filij ora per ſummum ſcelus vulnerauit. Illico vtriuſque vultus immutati, & qui purpurei ante fuerant coloris, expalluere; homo verò ſacrilegus è templo exire, quamquam maxime eniteretur, minime potuit, ſuo ſcelere, atque vltrice Numinis ira ſceleſti conatui obſiſtentibus.

Tandem igitur compreheſus extremo ſupplicio ſumma omnium approbatione damnatur. mirum fuit prodigium, quod accidit in ea re: nam dum ad furcas abſtraheretur, ex pariete ipſius templi ianuæ oppoſito, lapis vltro exiluit, ad quem ſceleratus ille collo in laqueum implicito ſuſpenſus eſt, inde plura ſequuta miracula populi accurſu ad imaginis venerationem opemque implorandam. Viſitur adhuc icta pugione imago eodem in templo, manentque in vtriuſque ore vulnus, ac pallor, & iuxta imaginem appenſus pugio; præterea lapis, qui diuinitus proſiluit, adhuc exſtat, vt ceteris reticentibus lapides ipſi de pariete clament, & admirandam, iuſtamque Dei iram aduerſum impios in vlciſcenda matris iniuria conteſtentur. Res litteris mandata fuit in tabella in ipſius S. Agathæ templo, quam hic ſubſcribam narrationem.

Inquiſitore R P. Petro Ranzano Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Lucerino 1482. Quidam temerarius luſor ira incenſus D. Matrem, & Deum Filium cum pugione percuſſit, qui ſtatim ex rubeo colore miraculoſe pallidi effecti ſunt, & ſacrilegus ipſe nunquam abire potuit, donec ſuſpenſus in lapide in fronte poſito vitam finiuit. Exinde ſequuta miracula, teſtibus conſtat fide dignis.



S.MARIA DE' MIRACVLI DI SIRACVSA.

DIVA VIRGO SYRACVSANA A MIRACVLIS.

Anno 1500.



IN vico, cui, Cordaria, nomen, inter emporium, & plateam, templum est Syracusis Sanctissimæ Virginis à Miraculis, quod à Syracusano populo, magna grassante pestilentia, constructũ est anno 1500. quo tempore eo in loco, vbi templum in præsentia visitur, horreum fuit, ad cuius latus imago Virginis in pariete depicta erat. Cum grauis igitur pestis vrbem premeret, quidam fœdaлue correptus magno animi ardore, & concepta in ope Virginis spe, ad illam accessit, fusisque precibus, illico sanitati restitutus; vulgata miraculi fama tam calamitosis temporibus, vniuersus eò populus confluxit, vbi quam plurimi à Præpotenti Deiparæ dextera precibus votisque sollicitata, liberati sunt à pestifera contagione. quibus commoti omnes beneficijs pro se quisque, in grati animi argumentum, eam large donabant.

Itaque breui tanta coacta pecuniæ vis est, vt non modo ad templi aream coemendam, extruendumque ipsum templum saxo quadrato, & marmoreis postibus suffecerit; verum etiam ad annuam pecuniæ summam comparandam, qua & ornari sacra ædes, & sacerdos sub Beneficiati titulo cum æditúo ali possent. Templum verò à miraculorum multitudine accepto nomine, dictum fuit à miraculis, quæ tùm ipso initio, tum porro semper edidit pijssima mater, vt varij morbi, cladesque in tabellis appictæ indicant. Vetus Virginis icon, quæ prima effecit miracula in templi pariete ad vicum verso adhuc est sub paruo fastigiato tecto, sculpitili opera eleborato; intus in templo Virginis est simulacrum cum Sanctissima Prole in vlnis, in quod pia populi deuotio nunc translata est, eiusque dies festus 14. Kal. Maij magno omnium concursu celebratur.

Iã verò quo tẽpore hæc imago cælestia dona cœpit laborantibus ciuibus effundere altera itidem Virginis Icon in vico ad S. Iacobi parœciam suas opes elargita est, vbi templũ erectũ sub S. Mariæ Pietatis titulo, quod anno 1501. ab Antistite Dalmacio de Capituli sententia cũ æde S. Mariæ à miraculis coniunctũ fuit, vt ex illius priuilegio in mem-

membrana edito, quod sibi scribere, optimum duxi, ut plus erga Virginem fieret satis.

Dalmacius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Syracusanus: Nec non & Sanctissimi in Christo patris, & domini nostri Domini Alexandri prouidentia Papæ VI. Referendarius: Vniuersis, & singulis Christi fidelibus præsens nostrum priuilegium quouis loco, & tempore lecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus, & Redemptio. Collachrymante Syracusano populo incredibili pestilentia laborante, Pijssima Virgo Mater Dei Dilectiss. Iesu Christo Filio suo pectus, & vbera monstrauit: diuinaque operante clementia, ipsius imago Virginis, & Matris, situata, & depicta in Cordaria iam dictæ Ciuitatis sub titulo *delli Miracoli*, ad pedes eiusdem deuote comparentibus, quauis infirmitate, & languore detentis, & præcipue ipso pestifero morbo compressis innumeranda, ac manifesta misericordiæ suæ miracula demonstrauit. Sani quidem penitus effecti sunt, qui paulo ante in mortis articulo laborabant. Multiplicatis proinde fidelium precibus, multiplicata sunt etiam ipsius Virginis, & Matris suffragia, diffusiorque omnipotentis Dei gratia visa est. Quippe & altera ipsius Virginis matris imago in S. Iacobi vico depicta sub titulo *della Pietate*, amplissima lāguidis præsidia miro modo contribuit. Et quia inconueniens erat, vt illustres illi parietes, in quibus ipsius Sacratissimæ Matris, & Virginis imagines insignitæ erant humanis essent vlterius vsibus deputati, communi ciuium omnium voto, numine diuino instituti, intemerato ipsius nomini dedicati sunt, factique Basilicæ. Et ne deuotio populi in plures partes in posterum diuisa frigesceret, & cessantibus aliquando suffragijs, eleemosynisque alterum locorum ipsorum destituerent; sicuti vni Virgini vterque deputatus est locus: ita etiam vnis suffragijs, ac commoditatibus seruiretur, habito tractatu in capitulo, ac perpensa causa, cognitione habita, omnibus respectibus mature, circumspectis, pro seruitio omnipotentis Dei, & honore ipsius Virginis Matris valde congruum visum est, Basilicam in dicto vico S. Iacobi sub titulo *della pietate* vnire, & aggregare, ac adiungere Basilicæ Cordariæ, pro vt diffusius ipsius declaratione capituli olim facta continetur: Nos verò attendentes tam laudabilem conclusionem Capituli, & deliberationem, Auctoritate, qua fungimur, & omni potestate, qua possumus, approbamus, laudamus, & confirmamus, & ad vberiorem cautelā, & maiorē firmitatē vnius aggregamus, addicimus, ac dictam Basilicā *della Pietate* grangiam facimus

mus Basilicæ sub titulo *delli Miracoli*. Itaque Deuoti Confratres, qui sunt, & pro tempore erunt dictæ Ecclesiæ Cordariæ vtrique loco de Sacerdotibus Cappellanis Oratoribus necessitatibus occurrentibus, reparationibus, & fabricationibus valeant, & debeant prouidere in honore, & gloria Omnipotentis Dei, & exaltatione gloriosi nominis Virginis, & Matris Iesu Christi Domini, & Redemptoris nostri. In cuius rei testimonium præsens priuilegium exinde fieri fecimus nostræ manus subscriptione munitum, & nostri communis Episcopalis sigilli impressione roboratum.

Datum Syracusis in nostro Episcopali Palatio, Die decimo mensis Martij quartę Indict. Anno Domini 1501. Dalmacius Episcopus.



IMA-



S. MARIA DELLA CAVA DI MARSALA.

23

IMAGO DEI MATRIS MARSALENSIS:

A CAVA.

Anno 1518.




NNO 1518. quo tēpore Prorex Pignatellus Siculā Prouinciā administrabat 13.Kal.Feb.inuēta fuit Sanctissimæ Virginis effigies Lilybœi,ea quā dicemus, ratione.Quidā(nūc Marsalæ)cui, Nardus Xauinus nomen, vxoris post mortem, eremiticam vitam amplexus tandem D. Augustini familiæ nomen dedit, in eaque iam Sacerdos religiosam exigebat vitam; huic igitur per quietem oblata sæpius Gloriosa omnium Regina dixit, vt saxum illud perfringeret, in quo Deiparæ statuam inuenturus esset; hic cum Concionatore re communicata, qui per quadragenaria ieiunia verba faciebat ad populum,impulit hominem,vt ad indagandum Thesaurū populum concitaret.

Paruit ille monitis, magnamque in omnium pectore spem suscitauit fore, vt si saxū illud discinderetur,eximiæ inuenirentur opes;Nec surdas cohortationibus populus aures præbuit,sed solidam cautem demoliri cœpit, & post quatuor annos ad eum locum peruentum est, vbi nunc sacellum est D. Augustini, quod sane id temporis saxum erat: & quia illius operis impensis soluendis non erat cœnobium D.Augustini ob paupertatem, necesse erat, vt res tam pia populo commendaretur singulis anniuersarijs quadragenarij ieiunij cōcionibus: quare post annos quatuor abeunte inde, quem diximus, concionatore, alius, qui aduenit Melitensis, non destitit pium opus apud populum promouere, magnum consequuturos Thesaurum pollicitus.

Iam vero vbi ad puteum quemdam peruenerunt, eum perscrutati, marmoreum Virginis Matris simulacrum reperere. Vnius palmi statura erat, basis paruula sub pedes, vestis aureis notis distincta, puerum in vlnis gestabat, qui manibus pectus, ac ceruicem Sanctissimæ Matris contrectabat, eamque diuinis ocellis intuebatur.Consequutus iam ex diuturnis laboribus tantos fructus vniuersus,populus difficile dictu est quanta deuotione, quantisque lacrymis ad venerandam Virginem concurrerit; ipsa verò sua dona large omnibus impertiebatur. Multi mortales tum varijs curati morbis, restituti aurium

vſus, aperta muta ab ipſo ortu nonnullorum ora, omnino tot fuere prodigia, vt ex vniuerſa regione illa (Vallis Mazarienſis dicitur) infirmi omnes confluxerint, ad recipienda à liberali Virginis dextra cæleſtia munera.

Auxit mirificè omnium in Virginem pietatem, ipſius Proregis ſanitas, ope huius Sanctiſſimi ſimulacri reſtituta. Cum enim ille diu hernia laboraſset, vbi huic Virgini vouit, morbus omnis exceſſit, & ipſe in beneficij monumentum Campanam maximam dono miſit, aliaque quam plurima. Quo annò abditum fuerit hoc Virginis ſtemma incertum eſt. Nullum tamen dubium eſse videtur, quin ſub Sarracenorum iugo oppreſsa Sicilia, id factum fuerit, quo tempore Chriſtiani ſacras effigies in Cryptis collocabant, vbi veluti tuto eſsent à barbarorum manibus, ibique quo poſsent cultu eos colerent. Hæc accepimus à ſenioribus fide dignis.



IN




31
La Beatissima
Vergine di
Rac
cuia
31

IN RACCVIA OPPIDO ÆDES VIRGINIS LAVRETANÆ.

Anno 1500.



CIRCA annum Domini 1500. vt constans fama est, Aedes Lauretanæ Virginis fabricata fuit in Raccuia Oppido defūcti hominis monitu. Quippe cū Ioannellus Iambrunus huius oppidi Strategus obijsset diem, siue morbo, seu vt fama percrebuit, à latronibus; ad quos comprehendendos cum armata manu exierat, occisus, humatusque iam esset, post aliquod tempus intempesta nocte ad cuiusdam amici ianuā pulsandam accessit, rogauitq: vt ad se veniret, sibi eo conuento opus esse, & proin prope domum eum expectare; surrexit ille, cumque foris neminem conspiceret ad proximam plateam accessit, vbi super trabem sedentem Iambrunum reperit, qui eum comiter compellans, vt magnam à se iniret gratiam, rogauit. Hæsit ille, Quid hoc, inquit, nonne tu Iambrunus, qui iam occisus, & sepulchro conditus? Is, respondit ille, certe sum, sed nullus te commoueat horror, quin me, quocumque pergam, sequaris intrepidus.

Paruit ille, magno licet horrore perfusus, & amici vmbram comitatus ad quemdam locum peruenit, vbi Iembrunus templi aream descripsit, quod in Sanctissimæ Lauretanæ Virginis honorem enixe ab eo postulabat, vt ædificaretur. addidit etiam, vbi certum spatium effoderit, Sacrosanctum Crucis signum ex ligno inuenturum, proinde haud graue esset ad parentem suum, cognatosque adire, eisque exponere quam ipse templum illud expeteret Lauretanæ Matris. Quod ad impensas attinet, domum suam tenderet, ibi in arca conditum thoracem repertum iri, in quo aurei scutati centum asseruabantur, illi pecuniam fabricæ suppeditaturi; si quod vero deesset, rogabat, vt propinquorum Opes id explerent; his visis èxpletis euanuit.

At amicus per summam formidinem, horroremque transacta nocte, vbi primum illuxit, patrem, cognatosque Illius aduocat, rem enarrat, & futura veritatis argumenta; illi quamuis paruam haberē t dictis fidem, tamen à perquirendo in arca thorace, non destitere, & inuenta in eo pecunia iam excitati, descripto templo locum effodiēdum locarunt, in quo vt prædictum fuerat, inuenta crux lignea, quæ

diu in ipſo templo permanſit: pulſa iam ob ſecundum indicium omni dubitatione, Sacram ædem extruxere Lauretanæ Virgini, quæ in cultu ſemper eſt habita, & quotannis feſto illius Clerus vniuerſus ſolemni pompa eam adit, ibique rem diuinam ſolemniter facit. In ea verò tabula colitur, in qua Sanctiſſima Mater depicta aſſidens, ab Angelis ſuſtentata, ac ſi veheretur, Diuinum Filium ſupra genua tenet: ſuoque aſpectu omnium intuentium oculos, animumq; reficit.

Ex antiqua, quæ adhuc viget, maiorum traditione.



DIVA


22
LA SS:A VERGINE IMPERLA:
TA DI PALERMO
22



DIVA VIRGO PANORMITANA

CVI NOMEN IMPERLATÆ.

Anno 1512.



ATTHÆVS Vvilelmi Regis Vicecancellarius Virginum Monasterium sub nomine B. Mariæ cõdidit, cui adhuc nomen Cancellarij ab auctore Monasterij manet. huic olim dono dedit B. Virginis effigiem Græco more puerum tenentis in tabula depictam gemmis, & vnionibus decoratam; super Sanctæ Matris, & diuini Filij capita argenteæ coronæ plusquam quinque libras graues, quæ mille, & quingentas ferme vniones impactas habebant; in Corona Virginis septem sardij lapides, & vniones octo miræ magnitudinis erant: pueri corona sardios sexdecim, totidemque eximias vniones habebat, vnde nomen Iconi Siculo vocabulo impositum, *Imperlata*.

Porrò Ferdinando Rege, eiusque in Sicilia vicesgerente Vgone Moncada, mulier cupiditate impulsa cum illis vnionibus adiecisset animum, oculosque, per summum scelus admotis ad Iconem manibus, vnionem rapuit ex grandioribus ex Corona, pressoque pugno iã secura furti excesserat: per vias igitur læta, vbi furtũ inspicere voluit, palmam neutiquam potuitexplicare, cælesti vi compressis digitis; nec conatus vllus quicquam proficiebat: scelere itaque animaduerso, mulier gemebunda ad templum, vnde vnionem eripuerat, reuertitur, vt furtum restitueret, & pacem exposceret à Deipara, scelus confessa. Quare ædem sacram ingressa multis vocibus, clamoribusq; sanctimoniales, multosque alios exciuit, & coram omnibus noxam fatetur, veniaq; tandem à Virgine impetrata, manum aperuit, & iterum vnio Coronæ impacta. Hinc etiam aliud ortum Iconi cognomen crediderim *D. Maria Audientia*. Res accidit Dominica 2. post octauam Dominicæ Resurrectionis, eodemque die eius memoriam à senioribus acceptam celebrant Sacræ Virgines.



DIVA


22
S.MARIA LA NOVA DI PALERMO.
24
Jo. Fri. Greut. sc.



DIVA MARIA COGNOMENTO NOVÆ.

Anno 1520.



LIM, vbi nunc D. Mariæ Nouæ templum eſt, prope parœciam S. Iacobi, Xenodochium erat; ſemidiruto enim antiquo templo ob vetuſtatem & ædes pauperum erat, ac peregrinorum diuerſorium. Hic itaque cum peregrinus quidam inter reliquam pauperum multitudinem nimium frigus igne vellet propellere, collectis lignorum fruſtris, quæ forte ibi erant, ignem ſuccendit: & cum cuique in tempeſtate perfrigida ignis calor placeret, dum ligna pro ſe ſuiſque vndique quæreret, quidam in tabulam luto infectam, quæ putei erat operculum, manum iniecit, arreptoque ferro, eam diſcindere aggreditur; ſed quamuis multis ictibus ille contenderet, ne aſsulam quidem euellit: cumque vertere tabulam tentaret, ſi quid ex alia parte proficeretur, à terra attollere nullo pacto valuit.

Re animaduerſa, cuncti, vt erat, aliquid in ea diuini latere exiſtimantes abſterſo luto, Virginis ineſse effigiem animaduertunt, atque in genua prouoluti repertum theſaurum adorant. Mane ad Panormitanum antiſtitem accurrunt, rem aperiunt: ille prodigio commotus, vt debita reuerentia deferretur Icon Deiparæ Virginis decentem in locum, cum Clero eò aduenit, ſuiſque manibus abſterſam ſupra aram conſtituit; vbi deinde fideliũ confluentibus eleemoſynis, ob peculiarem conceptam erga Virginem deuotionem, templum ædificatũ eſt; in quo deinde cum Hector Pignatellus Prorex Siciliæ literas de felici rerum maritimarum euentu legeret, nomen Tẽplo dedit D. Mariæ Nouæ ob lætum nuntium qui voce Sicula (Noua) dicitur, hodieq; illud etiam nomen ſacra ædes conſeruat.





LA MADONNA DELLA DACHALA
DI CATANIA
20



DIVA VIRGO CATANENSIS
CVI NOMEN A DACHALA.

Anno 1500.


VIT Catanę mulier, cui Benigna nomen, quæ Sacræ ædi Sanctæ Mariæ à Dachala ministrabat pro sua in Virginem pietate: hæc iam filium (Desiderius vocabatur) captiuum apud Turcas habebat, eiusque recipiendi desiderio angebatur. cum autem, vt mos erat; vesperi lampada accenderet, quæ propter Virginis aram pendebat, naturali in filium simul, & pio erga Sanctissimam Matrem affectu impulsa, flexis genibus, magno animi ardore, ait, se quidem priusquam è viuis decessisset, natum incolumem, reducemque visuram. Vix ea, cum paruæ suæ domus ianuam pulsari percipit; accurrit, reserat ostium: Ecce autem, præter spem omnem, filium Turcico indutum ornamento ibi astantem reperit, cernit attonita obuolutū tela barbarico more caput, talarem vestem discolore inuolucro pręcinctam, dextra poculum, sinistra vrceum tenentem, tum Filius ad matris pedes se abijcit, nomine compellans, & post dulces amplexus, en, inquit, mater, modo in domini mei (Bassà voce barbara dicebatur) domo Constantinopoli versabar, cui dum cænanti ministrarem, vt vides, hoc poculo, de repente ante tuos pedes hic me video.

Sanctissimæ Virgini Deiparæ (respondit mater) id acceptum referendum, illi agendæ gratiæ immortales, cuius commiseratione nihil iam dubij est, quin tu hac mirabili, repentinaque libertate perfruaris. Inde templum ingressi gratias liberatrici Virgini peregere. tum, re per viciniam vulgata, accurrere omnes, gratularique, & Virginis efferre præsentem opem. Adfuit etiam illius templi præfectus miraculi testis. poculum verò, & aliud vasculū, cum inuolucro diu in templo asseruata, & deinde cum eadem ferme poculi forma in turibulum mutata adhuc extant, tantæ rei monumentum: Perscriptum etiam fuit id miraculum iussu Catanensis Episcopi; visiturque in tabella Diuæ Virginis depictum ipso in templo.

Huius miraculi veritatem comprobat, quod cuidam honesto viro accidit: Detinebatur Panormi carceri inclusus vir quidam (ignoratur nomen) ex nescio quo Siciliæ oppido capitali crimine pene cō-

uinctus, quippe qui tormentis adhibitis à Fisco, rem omnem confessus fuerit: Is igitur suo capiti valde metuens, supradictæ Imagini Beatæ Virginis vouit recenti miraculo, quod inaudierat, impulsus, si mortem imminentem euaderet, capturum sibi in matrimonium pauperem puellam sine dote. Voto edito, vir nobilis ex aula regia illum conuenit, ait, se à Prorege obtinuisse ob sua merita, vt quem vellet ex vinctis liberaret, cui læsus aduersarius non obstaret, quare cum illi id præstiturum promisisset, Virgine potius, quam humana industria rem compellente, paucos post dies miser ille euasit.

Tanti beneficij satis memor Catanam recta contendit gratiam acturus Virgini; ibi cum puellam 12. annos natam offendisset (Gratiæ nomen illi inauditum) rogauit, ne grauaretur sibi ædem Virginis à Dachala commonstrare; quo facillime à puella impetrato, petijt etiam, vt ædituum accerseret; cui pinguem eleemosynam afferebat. Adhoc paupercula respondit, ædem illam sub Canonicorum tutela esse, proprium verò ædituum nō habere, sed matrem suā annos aliquot illi administrasse, sed paucos ante dies lethi morbo correptam hoc sibi mandasse. Vt vides, mea gnata, in summa inopia morior, neque quidpiam quod tibi relinquam mihi inesse cognoscis. Vnum moneo, & hæreditatis loco relinquo, Templum hoc incole, & quod potes, ministerio tuo officium Sanctissimæ Matri, omniū Reginæ exhibe: confido enim fore, vt te illa Clementiæ Mater sospitet, & vt filium illius pauperculæ repente ex duræ seruitutis vinculis exemit, sic te ab omnibus huius vitæ laqueis, miserijsq; ereptura sit. Et ipsa (inquit puella) materni præcepti memor hic sum, & Sanctissimæ Deiparæ seruio. Commotus his verbis hospes facile intellexit eam sibi sine dote pauperem ducendam vxorem, prout Virgini pollicitus fuerat, aduocatisq; statim tantæ rei testibus, eam vxorem cepit, & ad patrios focos secum adduxit rebus omnibus instructam.



NOSTRA SIGNORA D'ALCAMO.




DIVA VIRGO IN OPPIDO S. ANGELI.

1544.


APTA an. Dom. MDXLIV. Lipara ab Ariadeno Barbarossa Turcarum pirata, ad eam Siciliæ oram populandam appulit, quæ oppido Sancti Angeli proxima est, & iam nonnullis vastatis pagis, ad prędictum Oppidum properabant; erat non procul ab illo Virginis templum, cui nomen fecerat S. Maria à Viridario; ad quod cũ peruenissent, en tibi ex Deiparæ Imagine magnum iubar emicuit, cælestique vi adeò illorum perstrinxit oculos, vt referre gradum coacti fuerint. Ferunt alij, illam splendoris copiam per oleæ arborem transisse, & foramen illi, quod adhuc visitur, fecisse ad eum modum, quo nos stellas depingimus.

Fugatis ea luce barbaris, confluxere oppidani omnes ad liberatricem Virginem, eiusque Imaginem, sudore manantẽ, siue, vt alij auctores sunt, sanguineo sudore respersam inuenere; tantaque fuit Diuini liquoris copia, vt in calice reposuerint. Accidit id: ix. Kal. Maias, quo die huius prodigij, beneficijque memoria celebratnr, & annis prioribus solemnis pompa ad illud templum pergebat. Annorum decursu torrens templo proximus regionem, vbi illud erat, vastauit, quare oppidani memores acceptæ gratiæ ad aliã torrentis partem nouum ædificauere, extat tamen vetus illa Imago Virginis, quæ cum in pariete depicta sit, ob illius magnitudinem haud facilè transferri potuit in nouam Ædem.

Ex monumentis Ecclesiæ.






25
NOSTRA DONNA DELLA CONSOLAT.ne DI TERMINI.
28

DIVA VIRGO THERMARVM, HIMERÆORVM.

Anno 1553.



ACRA ædes, in qua Parochus eſt. SS. Dominæ, quæ conſolationis, à ſolatio, quod inde varijs vexati cladibus excipiunt, vulgo dicitur in vico à tabernulis, ſicula voce *de le Botteghelle* nuncupato, hanc Originem habuit. Degebat Thermis Himerenſibus ad prædictum vicum Coſmas de Agra Aromatarius, hic pietate in SS. Dei Genitricem impulſus tamquam ſuæ domus tutamen, in pharmacij pariete, Deiparæ Iconem depingendam curauit, feſtiſque illi diebus, & ſingulis ſabbatis lampadem ſuccendebat.

Contigit autem, vt mulier, cui Dominicæ Ruſsæ nomen, filium pepererit, cuius coxendices, tibiæque molles, & excarneis pene oſſibus erant, adeo vt collo ſibi met ſæpe imponeret, tam facile incuruari, ac reflecti poterant; conſueuerat pia mater lampadis, quam diximus, oleo membra tam infirma nati quotidie oblinere; Virgini maximopere confidens, vt filij ſanitatem ſibi impertiret. Iam puer ad duodecimum annum peruenerat, nec veſtigia vel firmare potuerat: En igitur nocte quadam, cum ſero filium de more vnxiſset mater, ſequenti mane puer, ope Virginis, incolumis, membris omnibus adeo firmis ſurrexit, perinde, ac ſi nihil vmquam paſsus fuiſset,

Tam illuſtri vulgato miraculo aucta in Virginem deuotio, aucta miracula: breuique affluentibus vndique eleemoſinis templum ædificari cæptum eo ipſo die anno 1553. XII. Kal. Iulias, Anno vero 1591. paries ex luto, in quo erat Venerabilis Imago Deiparæ, ad Plateam verſus, ad interiorem templi partem ſummo labore conuerſus eſt. Qua in re mirum ſane fuit, quod accidit. Cum enim aptatis machinis funis, ex quo pars parietis cum ſacra Imagine iam octo pedes erecta, pendebat, inſpectante magna populi multitudine, frangeretur, in priſtinum locũ redijt integra effigies, quamuis, vt diximus, ex luto paries cõfectus eſset; quod merito pro magno ab omnibus miraculo habitum fuit. Feſtus dies agitur xix. Kal. Febr. Ex viris fide dignis, & litteris D. Franciſci Nugnez V.I.D.

[illegible]

Anno [illegible]

ACTA [illegible]

[illegible]

men, in [illegible]

[illegible]

[illegible] Kalendas [illegible]

carì caput [illegible] Kalendas [illegible] 1591.

partes ex [illegible] in quo erat Venet [illegible] o Delphi [illegible]

vectus, ad [illegible] templi [illegible]

Qui in [illegible]

[illegible] ex quo [illegible]

[illegible]

[illegible]

LVIII





S. MARIA DE' MIRACVLI DI SIRACVSA.

18 I. F. Greuter. sc.

D. VIRGO PANORMITANA APPELLATA A MIRACVLIS.



ANNO salutis nostræ 1543. vj Mai. qui dies fuit eo anno secūdus mensis Maij Dominicus, quo Nundinæ in Sanctissimę Virginis, & Martyris Christinæ Vrbis Panormitanæ Patronæ aperiuntur, & duas totas habentur hebdomadas, Imago Sanctissimæ Virginis, quæ in pariete ad plateam maritimam depicta multis, & singularibus prodigijs initium fecit; Nam cum egenus quidam ægrotus eò redactus esset, vt ob grauem herniam viscera è corpore promanarent, summisq; afflictaretur doloribus, ad hanc, quam diximus Deiparæ Imaginem, qua potuit ratione, perrexit; ibique dum multis cum lacrymis opem Virginis implorat, somno corripitur; post breue quietis spatium experrectus, omnino sanus surrexit: perinde ac nihil vnquam fuisset passus; quare omnibus incedens lætitijs per vias exclamabat, se ope Virginis sanatum. Ea statim diuulgata fama, quod notus omnibus ille esset ob grauis morbi deformitatem, quàm plurimi vndique accurrere ad Imaginem venerandam. Placuit Virgini populi pietas, itaque quam plurimis dona impertiuit, breui enim multi attractis pedibus, manibusque, quam plures muti, alijsque laborantes morbis sani prorsus euasere, illam Iconem venerati; quare adeò eleemosinæ excreuere, vt templum, quod hodie extat, erectum fuerit, & ob miraculorum copiam Sanctissima Virgo à *Miraculis* dicta fuerit effigies Primus in fundamentis iactus est lapis ab ipso Prorege D. Ioanne de Vega satis inclyto suis virtutibus principe. Iam vero non multo post cum Templi parietes dealbandi essent, tabellæ miraculorum omnes ablatæ sunt, quæ innumeræ parietes omnes tegebant, nec, iniuria maiorū, deinde restitutæ; Extat tamèn memoria memorabilis quod in illius tēpli ædificatione accidit. Cum enim quidam Templi fabricam impedire conaretur, quod prospectum, liberumq; aerem auferret suis ædibus, cumque die quadam cum fabris, & Architectis altercaretur, quod murum extolli nequaquam vellet, en tibi oblonga muri pars eius stabuli concidit, & equum, & mancipium sua ruina oppressit; suo damno edoctus ille, & culpam fassus ad Virginis, se abiecit pedes, exposcens veniam, nec modo fabris non obstitit sed

sua

sua pecunia adiuuit; quod sane templum hodierna die, SS. Christi Corpore diues, magno cultu habetur, cum omnes ibi Ecclesiasticæ cantiones Missarum, & Vesperarum, cæterique sacri Ritus per totum annum obeantur. Eius dies festus agitur vi. Idus Maij. Rem habuimus ex traditione.



DIVA

DIVA VIRGO ALCAMENSIS.

1544.




YCENTOS ferme passus. sub Alcamo ad Aquilonem, arcus, (quem cubam vocant) foueam contegebat; ex ea tenuis aquæ riuulus emanabat, qui per vepres, dumosq; defluens in subiectam vallem torrenti se commiscebat; in illius arcus pariete veteres Alcamenses Virginis SS. Iconem depinxere, vt locum illum, & manantes latices tutaretur; Temporis deinde diuturnitate, vt sæpe numero in rebus publicis videmus, parua Sacræ Virginis ratio haberi cæpta, & in dies concrescentibus vndique arboribus, dumisque, sensim fontem contexere, adeò vt, nullus illius vsus, nulla cognitio, sed deserta ibi omnia spinis, vepribusq; horrida, accessum humanis plantis omnino negabant. At ille omnium arbiter, cui Angelici assistunt Chori, diutius suæ SS. Genitricis Imaginem ibi delitescere in obscuro ferre, non potuit, debitoque honore, quem omnes quotquot ad fontem accessissent, exhibuissent, tam diu carere; Quare perhibent, aliquoties venustum puellum, ex ijs vepribus, quæ Iconem obtexerant, emicuisse, & repente visum euanescere, siue ille ex cælestibus ministris fuerit, siue ille ipse, qui de Imaginis collo pendebat, & suus, & præpotentis Dei filius.

Verùm cum nec tanto prodigio mentes hominum mouerentur, ad indagandum, quidnam ibi occluderetur, ipsæ cautes ad vlciscendam Imaginis Virgineæ iniuriam præsto fuere. Nam anno Domini 1544. XI. kal. Iulias cum de more ad torrentis locum (*vallonem* vulgo nuncupant) pauperes, & honestæ feminæ descendissent, ibique vestes abluerent prolluente aqua, ex imminente rupe paruos calculos vident ad se deuolui, nec cessante lapillorum pluuia, à iuuenibus otiosis id actum ratæ, eos increpant, minanturque: Desistunt ad eorum clamores parumper calculi; mox verò grandiora saxa deuoluta, quorum impetu ex illis duæ in aquam deiectæ nullo tamen accepto, aut dolore, aut damno. Ad ea perterritæ feminæ, latrones ibi latitare arbitratæ, se in fugam vertunt, aduersus latrones implorantes opem, & se a latronibus male habitas vociferantur. Res breui vulgata ad extirpandam latronum pestem populum vniuersum excitauit. Hisce rebus commotus magistratus indicit omnibus, vt ad cõprehendendos fures, syluamque concidendam, exeant.

Dum ergo conuenit populus, interrogatæ feminæ num quem illorum, qui saxa iacerent vidissent, respondent illæ, neminem præter mulierem candenti amictu indutam; addunt etiam mirum, quod tūc non animaduersum, nihil se doloris, aut detrimenti ab illis ictibus recepisse, quin cum læsum quædam habuisset brachium, ictu lapidis sanum fuisse redditum. Opus aggressi iam, dum quidquid erat siluæ demoliri nituntur, ad iugum, vnde saxa deiecta fuerant cum ferramentis peruenere; ibi, dum à latronibus sibi metuentes vndique intenti circumspiciunt omnia; en tibi præter omnem expectationem Imaginem Virginis Deiparæ filium amplexantis, in Cubæ pariete inueniunt, cælestique repente capti dulcedine, ingenuā prouoluti lætis vocibus conclamant; propius deinde Iconem intuiti, sudore manentem deprehendunt, quo vncti varijs morbis ægroti liberati sunt; mirum quot hominum fuerit concursus, qui eo confluxerint ob assidua, maximaque miracula; quisque pro se lapillos, puluerem, vicinasque plantas certatim capiebat, quæ res ad varijs laborantes morbis admotæ sanitatem pristinam restituebant. Porro expurgatus sētibus locus, ibique Templum Virgini sub titulo *à Miraculis* erectū; quo sæpius vrbium, pagorumque supplicationes adiere. Ipsi verò Imagini sacellum magnificum ex innumeris donis constructū, nobilissimoque lapide, qui ad illius ædificationem primo inuentus est, exornatum; constituti etiam ex ipsis donis annui reditus ad templi administrationem;

Huius inuentionis memoria quotannis celebratur XI. Kal. Iulias, quo tempore multi mortales ad Virginem confluunt, & cælestia ab illa dona recipiunt.



DIVA



28
NOSTRA DONNA DELLE TAGLIATE DI SALEMI
21


D. VIRGO SALEMITANA A LATOMIIS.

1564.



EMPLVM Salemitanæ Virginis, quod à *Latomijs* dicitur, a non procul distantibus latomijs prope oppidum Salemem, erectum fuit circa annum 1500. in eo depicta imago Annuntiatæ ab Angelo Virginis in ipso pariete visitur, quæ 3. Idus Maij. an. 1564. magnum edidit prodigium, multorum, quæ deinde subsecuta, faustum principium. Nam cum paupercula peperisset, nec lac in vberibus esset ad infantulum educandum, mulier omni ope destituta, quo se verteret, non habebat; iam enim puer in vlnis efflabat animam ob ipsam lactis inopiam; ergo, dum incerta animi hæret, in eam cogitationem venit nullum se inuenturam auxilium, nisi in Deiparæ dextera munificentissima; ac proinde statuit, septies Templum Virginis Annuntiatæ inuisere, & exposcere opem a Clementiæ fonte vberrimo. Eo igitur itinere suscepto, inuisaque iam semel Virgine, enixe ab ea petijt, vt tantam daret lactis copiam, quanta sufficeret ad paruulum nutriendum. Obtestata etiam est pro ijs vberibus, quæ omnium conditori cibum præbuere. Non passa irritas fundi preces huiusmodi alma Mater: nam per quietem illi pauperi mulier astitit, quæ sicca vbera pressabat manu, & lac ex illis in vasculum defluebat. Experrecta ad id mulier, lacte manantia sentit vbera in ipso lecto adeo, vt illis filium admonuerit. Festum diem D.V. celebrant oppidani VIII. Kalendas Aprilis. Hæc accepimus ex literis sacerdotis illius Ecclesiæ, & diuturna Seniorum traditione.






29
S. MARIA DELLA GRATIA
DI MODICA
29

IMAGO VIRGINIS DEIPARÆ IN OPPIDVO MODICA.

1615.



ANNO salutis 1615. 4. Non. Maij inuēta fuit Icon Sanctissimæ Dei Parentis, supra collem ab Oppido Modica parum distanti. Ante solis ortum creditur ibi à religioso viro fuisse collocata Imago ipsius almæ Virginis monitu. Multi præterea fidem faciunt; illic plures ante annos, prodigia visa, nunc accensas lampades, nunc altaria constructa, perinde ac sacrum in ijs faciendum esset, inter radios, splendoresque ex ipso colle emicantes, qui Oppidum illustrabant dicunt alij, exauditos inde malleorum ictus futuræ Templi fabricæ indicia. Inuentæ iam S. Genitricis Iconis vniuersum Oppidum fama peruasit, excitæ gentes concurrunt, & collem spinis antea, dumetisque asperum, atque adeo angustum, vt ægre vnius hominis ingressum pateretur, alacres conscendunt.


Auxit accensam iam in omnium pectoribus pietatem erga Virginem id, quod accidit eo ipso die, cum Sanctissima Imago reperta fuit. Puella quadrima Beatrix Modicensis ciuis, è scalarum supremo fastigio ad imum deuoluta in subiacentia saxa decidit: tam graui casu exanimata Puella est, siue rectius mortua, etenim vt ex conscriptis miraculis, & testium publicorum fide consignatis habetur, tres ipsa horas iacuit; omnis prorsus expers indicij, vnde vitalis inesse spiritus in corporibus arguitur; quare, multorū concursu facto, pro mortua habita est: tam acerbo casu afflicta mater multis lacrymis, precibusque Deiparam fatigabat, vt quando eodem die eam in Vrbem aduenerat cœlestia elargitura munera, sibi inopi, ac tam grauiter mœrenti primum impertiret munus. Vix preces fuderat, cum puella perinde ac ex quiete excita incolumis, atque omni prorsus suæ ægritudinis vestigio aliena matrem complexa est admirantibus omnibus.

At vero longe celeberrimum illud fuit, quod duodecimo post inuentionem Iconis die accidit, ante vniuersi populi Modicensis conspectum. Ingens vis lapidum, quæ ex rupe circa collem excisa fuerat, simul coaceruata, instar aggeris, magnum tumulum effecerat. cum verò vndique, & ciues, & accolæ, ad venerandam Virginis Iconem (dies sabbathi quippe erat) confluxissent, necesse erat, vt multi infra

AVII fra

frà tumulum essent, multi ipsum tumulum lapidum occuparent. Cũ igitur multis cum lacrymis Litaniæ Virginis decantarentur, en tibi de repente congestus lapidum cumulus labantibus fundamentis corruit summa omnium trepidatione, quippe, & qui supra cumulum erant præcipites deuoluti, qui infra cumulum & lapidibus obruti, & consepulti, in quibus quam plurimæ erant feminæ filios in vlnis gestantes. Territi omnes inducebãt in animum quinquaginta, aut certe quadraginta lapidibus obtritos inuentum iri, quare summa cum diligentia, ac celeritate lapides reuoluentes oppressos, & quos mortuos crediderant, incolumes omnino reperiunt; quin hoc mirabilius visum fuit, quod vestes quidem contritæ, ac laceratæ, nullo accepto ne in tenellis quidem infantum corporibus detrimẽto; quin nõnullæ à pristinis morbis, quibus diu laborauerant liberatæ, inter quas quædam diu herniam perpessa, libera euasit.

Interfuere tanto miraculo ciuitas ipsa Modicensis, Capitulum, & quam plurimi ex clero; qui omnes ea, quæ diximus contestantur.







La Madonna della Nuntiata di Sortino
30

DIVÆ VIRGINIS IMAGO PROPE SORTINVM.

Anno 1558.



ERAT olim non procul à Sortino Oppido, prope torrentem, cui nomen à viridarijs, ædes Annunciatæ Virgini sacra, in qua Imago eiusdem Virginis in tabula depicta asseruabatur, quæ cum propter vetustatem decolorari videretur, altera Icon maior ad antiquæ formam depicta est, & vetus illa in ædem S. Nicolai translata intra oppidum; quæ ædes cum ea, quam diximus, fuerat aggregata. Euenit deinde haud multo post, vt excrescentibus insolito modo aquis fluuij, qui prope Virginis ædem profluebat, ingens exorta fuerit inundatio, cuius nullam vnquam parem extitisse, affirmabant omnes; cum vero ædes maxime ad fluminis impetum obiecta esset, inter reliqua saxa, ingentesque stipites, quæ à flumio deuoluebantur sacra, Virginis tabula è templo extracta est, & ipso aquarum decursu ferebatur, semper tamen, vt multi testes sunt, obuersa Virginis facie ad Oppidum.

Iam pene viginti passuum millia excurrerat tabula, cum non procul à Syracusano litore constitit, fixo semper ore Virginis ad Sortinum Oppidum. Transacta iam procella, & detumescente iam flumine, vbi Oppidani, quam fecerant, tabellæ iacturã animaduertere, magno sunt affecti dolore; Interea Syracusanus quidam Nicolaus Traina, cui ex Sortino mulier nupta erat, cum rus ad res suas perlustrandas adijsset, Sanctissimam Iconem inuenit, ante quam magnã lignorum vim coarceruatam vidit, & hærentem perinde, atque vltra progredi noluissent, ne quid Virginis tabellam læderẽt; rei miraculo attonitus illico ad Sortinenses literas mittit, quibus de re quam viderat, certiores faceret; læto nuntio Oppidanis affectis, statim ex ijs, decem ad recipiendam tabulam profecti, qui humentem aquis sacrã Iconem nacti apud Nicolaum, verebantur, ne si eam deferrẽt, aliquo pacto deturparetur; verum cum renuntiatum illis esset, vim parare Syracusanos, vt sibi Imaginem arriperent, illico per summum ardorem sacram tabulam complexi citato cursu, decem passuum millia confecere, donec Sortinensis agri fines ingressi sunt; vbi cum sacrũ pondus dependerent, aduentantes equites à Syracusanis immissos

inspiciunt; sed cum multo plures ex Oppido eò confluxissent, ad Oppidum optatam effigiem retulere. Omnes obuiam processere manantibus præ lætitia lacrymis; Clerus vero solemni pompa tribus ab vrbe milliaribus venit obuiam Sanctissimæ Matri, & ita communi omnium tripudio in Templum S. Nicolai, quod supra meminimus sacra tabella delata est. Aucta deinde in Virginem pietate multorum eleemosynis, ac præcipue Illustrissimi Marchionis ipsius Oppidi liberalitate Templum D. Virgini extructum, prope pristinũ locum multo priore magnificentius, in cuius ianua prope aram maximam hæc legitur inscriptio, firmum rei, quam narrauimus, monumentum.

XV. DIE MENSIS OCTOBRIS 1558.
Ab exundatione fluminis vetustum Templum Virgini Maria dicatum dirutum, obrutum fuit: Figura vero eiusdem Virginis in Litus Syracusium intacta peruenit. Vbi XVIIII. eiusdem mensis reperta cum magna omnium pompa huc relata fuit.

Die XXVI. Mensis Februarij 1558.
Regnante Serenissimo Rege Philippo huius templi fundamenta iacta sunt, auctore Domino Don Cæsare Caietano.



DIVA




31
La Beatissima Vergine di
Raccuia
31
Lorini

D. VIRGO ANNVNTIATA RACCVIENSIS.

Anno 1573.




EMPLVM est Raccuiæ sub titulo SS. Virginis Annuntiatæ circa annum 1400. ædificatum, cui aliquot adiuncta cubicula, vbi a B. Virginis pijs clientibus peregrini excipi, & ægroti curari soliti. Verum anno 1550. admirando B. Virginis Annuntiatæ simulacro marmoreo nobilitatum; nam cum ad vicinam oram maritimam nauigiũ appulisset, quo fama erat Marmoream effigiem Virginis aduectam esse, ij sub quorum tutela Templum illud erat pietate, ac feruore commoti ad coemendam statuam proprijs impensis, populi deinde eleemosina resarciendis, accurrerunt, ea iam coempta, dum veheretur, multa fertur edidisse miracula, quæ obliuione, & scribendi incuria compressa sunt.

Iam verò an. 1573. mirum fuit, quod in ipso Virginis simulacro obtigit; quadam enim die Aprili mense, ante meridiem exudare Virginis effigies mirum in modum cæpit; re cognita, siue, vt alij dicũt, Campana vltro personante, siue, vt etiam fama est à pia fœmina, quæ sudorem prima animaduertit, pulsata, vniuersus populus illuc accurrit lacrymis, precibusque diuinam opem implorans, & ipsius Deiparæ pacem enixius exposcẽs; à Procuratoribus Templi statim Archipresbyter euocatus, Campanas omnes pulsauit, sacrumque sudorem in purum calicem collegit, summa cum reuerentia, inter quos nonnullos sanguineos, qui viderunt, fuisse testantur; Tam admirabili visu omnium commoti animi, e quibus vir pius apprime Virginis cultor Blascus Natoli, cum adesset ad tantum miraculum, clara, perspicuaq; voce Virginem precatus promittit, si ab omni infortunio omnes liberasset Sanctissima Virgo, breui aduocaturum Fratres Minores Sãcti Francisci, ibique cœnobium, Templumque curaturum, vt construatur.

Illico etiam coronam argenteam pretioso lapide ornatam Almæ Virginis simulacro imponit, quæ ibidem adhuc seruatur. Conuenere illuc etiam, vt Virginem venerarentur omnes illius loci Confraternitates; qua in re mirum etiam obtigit, nam cum Confraternitas Sancti Sebastiani templum illud subiret, vbi de cruce pendens Seruator,

quem illa de more præferebat, ad conspectum sudantis Matris peruenit, statim, & ipse sudore cœpit madere, Inspectantibus populo cleroq; cum Archipresbytero, qui sacratum sudorem collegit, & in eodem calice cum materno reposuit, seruatus est pretiosus liquor vsq; ad proximos annos, donec presbyter quidam surripuit, (& quia aduena erat) domum suam transtulit. Accolæ etiam omnes ad tantæ rei famam, & priuatim, & publicis supplicationibus accessere ad adorandam Deiparam, stetit deinde promissis Blascus, & sequenti anno Fratres Minores accersijt, sed morte præoccupatus rem perficere nequit, à nepotibus tamen ex illius mandato peracta, constructaque omnia. Ex Actis iuratis auctoritate Archiepiscopi Messanensis.



IMA-



NOSTRA SIGNORA D'ALCAMO.

IMAGVNCVLA DEIPARÆ IN PROMONTORIO AGATHYRSO.


Anno 1598.



NON diu est, quod sacrum almæ Deiparæ simulacrũ in Agathyrsum promontorium à Diuo Conone delatum fuit, & sane ab æthere delatum dicendũ est; viuuntque adhuc oculati testes, qui iureiurando rem contestantur. Nam an. 1598. xi. Kal. Nouemb. in eo colle, qui ex orientali plaga antiquo imminet Agathyrso (nunc Orlandi caput appellatur) D. Conon Ciuis oppidi Nasi monachali habitu, prægrandibus oculis, macilento ore apparuit, & intuẽtibus turrim, quæ ibi ad oram maritimam tutandam est, speculatoribus, Antonino Raffa, cum Antonina vxore, & Iosepho Pircello cũ Diuus instar fulguris Turrim circumdedisset, Imagunculam SS. Virginis mira specie, & humana augustiore 4. kal. Nouemb. ibi deposuit: ab ijs Nasum delatam effigiem, domi suæ excepit iuris peritus Antonius Piccolus, vt filio, qui iam à medicis destitutus fuerat, multo maiorem adhiberet medelam; nec frustatur, nam, post paucos dies, à benigna Angelorum Regina, quod humana negabat potentia, lætus accepit, filio in pristinam valetudinem restituto; at, cum ibi nollet SS. Imago diutius commorari, terræmotibus oppidũ agitari cœptum, quare perturbatis omnibus, Comes Nasi præcepit, vt imago Virginis ijs, qui in turri ad Agathyrsum degebant, rursus redderetur, vbi primũ à Conone collocata fuerat. Igitur ex Antonini ædibus domum Petri Iberti translata, vt inde in priorem locum referretur.

At cælestis arca quocunque pergeret, dona elargiebatur, & vti à mortis faucibus Antonini Piccoli filium eripuit, itidem in Iberti domo eiusdem patrem, qui ex graui lapsu claudus euasit, sanum, & incolumem reddidit, coram quam plurimis, qui ad contemplandam cælestem statuam conuenerant. Excito nouis miraculis ab Archipresbytero sacrata effigies, cum magno populariũ concursu, ad S. Patri templum delata, vt ibi publice sacra in æde debita reuerentia coleretur; verum non idcirco quieuit terra, nam decem, & octo, quibus SS. Virgo ibi mansit, ferme octauo quoque die terræmotus validi Oppidum concutiebant, vnde magna in omnibus trepidatio. Paruere tãdem his actis terroribus Oppidani, rursusque ad pristinam sedem ad

Agathyrsum simulacrum Virginis, licet ægro animo retulere: quo tempore nouo etiam prodigio diuina mater suam voluntatem ostendit ibi commorandi, vt illud promontorium patrocinio suo tutaretur. Nam IX. kal. Apr. Annnntiatæ Virginis pervigilio', & sequenti die visus est D.Conon turrim illam circumlustrare, & ad vergens in Aquilonem latus tres lapides liquisse, perinde atque locum, in quo vellet SS.Deipara residere, templum ipsum signare voluisset. Quare Illustris Comes Nasi ibidem proprio sumptu templum ædificauit, & inde Messanensis Archiepiscopi auctoritate solemni pompa totius Oppidi Archipresbyter cum clero eo deduxit S. Mariæ imagunculam; vbi in lapideo tabernaculo auro perlito collocata seruatur, tanquam diuinum munus, ad quã concurrunt plurimi, nec inde vnquam se auellere animus sinit. Statua vnius palmi est. Materia ex qua sit, diudicari neutiquam potest, an ex cera, an aliud pigmentum. Certè omnibus cæleste opus apparet. Celebratur festus dies quotannis XI.kal.Nouembris, quo die à D.Conone delata fuit. Ex literis Petri, apud quem Imago D. Virginis fuit.



DIVA



N.ra SIG.ra DI PIÈ DI GROTTA DI PALERMO.

33 *Jo. Frid. Greut. fe.*

D. VIRGO A CRYPTA PANORMI.

Anno 1564.



AD sinistram Panormitani sinus ripam antrum erat, & in eo effigies depicta Virginis Deiparæ lacerum filij corpus sustentantis gremio, lacrymisque irrigantis, perinde vt, cum è Cruce fuit ille depositus, factum creditur. Abiectum prius fuerat antrum, & nauticæ gentis tugurium, ibique nulla habita Sacræ Imagini veneratio. Non indignata tamē est puritatis, & gratiæ mater, specum illum illustrissimum ex obscuro reddere.

Nam anno salutis 1564. Sanctissimæ Parasceues die, dum pueri luderent in eo antro ante Virginis Iconem animaduertunt magnam sudoris, & lachrymarum copiam ex fronte, oculisque Deiparæ emanare; exterriti prodigio pueri prosiliunt, & rem prædicant per vias; ad eum nuntium mulier, quæ ibi forte versabatur, & lateris dolore laborabat magna spe in Virginem concepta, si infimi corporis partem sudore oblineret, ad antrum properat festina, vti prior omniū ingressa veluti ex altera piscina, cæleste beneficium acciperet. Nec irrita spes euanuit; nam ingressa specum, adnotoque corpori sudore Virgineo, repente sanitatem recepit; actis Virgini gratijs sana mulier miraculum vulgo enarrat, quibus rebus commotus populus vndique ad nouum gratiarum fontem concurrit.

Elargita est tam plurimis sua dona Virgo Sanctissima, præsertim ijs, qui maiori cum fiducia ad se confugerent; Quare celeberrimum extitit nomen illius antri, & Virgini ab antro datum nomen voce Sicula (*di Piedi Grotta*) Inter cætera prodigia Diuina Mater vocē muto ab ortu suo dedit; Messanensi mulieri cui morbus mammas corroserat, sanitatem tulit; infantem è matris vtero distortum sanauit; mortali vulnere sauciam Catanensem curauit; Moribundæ in partu Mazarensi opem tulit; græcam septem Dæmonibus liberauit; & infinita sane miracula edidit, quæ longa serie in eius templo videntur in tabellis defixa.

Inde statim auro oblita fuit Imago, antrum argento contectum, vbi nobilis, ac prædiues ara constructa, ipsum antri tectum cœlo ornatum aureis stellulis distincto, extra antrum Templum erectum est, summaq; pietate ab omnibus colitur. Festus dies idem est, qui pri-

mus dedit initium miraculis SS. Virginis. Res est ex inscriptione, quam subijcio, quæ in templo legitur in hunc modum.

III. Kal. Apr. ante diem Parasceues MCCCCCLXIIII. initium fuit signorum, quę fecit hoc in antro Beata Virgo.



Se-


34
S.MARIA DEL LITERIO DI MESSINA.
34
F.G.sc.

Sequentes Enarrationes addidit collector.

SANCTA MARIA A LITTERIS MESSANENSIS.



EX traditione habetur apud Mesſanenſem Eccleſiam, Sanctum Gentium Doctorem Paulum, cū eſset in Sicilia (ter autem ibi fuiſse teſtatur S.Chryſoſtomus *hom. 1. in epiſt. ad Romanos, Ter*, inquiens, *in Siciliam profectus eſt*) Habetur, inquam, Sanctum Paulum ſemen Euangelicum in Ciuitate Meſsanæ cum magno prouentu ſeminaſse; potiſſimum autem, ſemel, ex cōcione, explicuiſse Sanctiſſimi Redemptoris Noſtri cruciatus, ac mortem, iterumq; alio die declaraſſe, qua ratione Aeternum Verbum in Sanctiſſimæ Virginis vtero humanam carnem aſsumpſerit, atque ex hac notione, alijſq; de rebus Euangelij alias habitis documentis, Ciues Meſsanenſes in Amorem Domini noſtri, eiuſq; parentem maxime inarſiſse. Addit eadem traditio, eoſdem, cum audiſsent, adhuc Sanctiſſimā Genitricē inter viuos agere Hieroſolymis, Magiſtramq; eſse, ac patronam omnium Chriſti Fidelium, exorauiſse à Paulo, vt quandoquidem ipſis omnibus, ire integrum non erat ad Virginem, iret is aliquot legatis Meſsanenſibus comitantibus, eamq; nomine omnium Fidelium Meſsanæ commorantium, ſalutaret, veneraretur, adoraret, ipſorumq; Ciuitatem ſub eius protectione ſubijceret. Annuente Apoſtolo, inceptum eſt iter, expanſis velis mare traijcitur, è naui deſcenditur, atq; Hieroſolymam felici curſu peruenitur. Vbi, ductore Paulo, admittuntur ad conſpectum Virginis legati, quo animo, quo ſanctæ dulcedinis ſenſu, tum Sanctiſſimæ Deiparæ, tum Legatorum, verbis explicare, immo & mente complecti quis poterit? Neq; verò ſolùm eos mira humanitate excepit Virgo, verum etiam, reſpondere Meſsanenſibus ciuibus dignata eſt, epiſtolamq; ſua manu exaratam, legatis dedit, qua ciues illos omnes ſub ſuo patrocinio ſe ſuſcipere, profeſsa eſt. Exemplar epiſtolæ ex Hebræo in Græcum idioma tranſlatum, & ex hoc in Latinum, huiuſmodi circumfertur.

Maria

Maria Virgo Ioachim Filia, Dei humillima Christi IESV Crucifixi Mater, ex tribu Iuda, stirpe Dauid Messanensibus salutem, & Dei Patris Omnipotentis Benedictionem.

VOS omnes fide Magna Legatos, ac Nuncios per publicum documentum ad nos misisse, constat: Filium nostrum Dei genitum Deum, & hominem esse, fatemini, & in Cælum post suam Resurrectionem ascendisse, Pauli electi prædicatione mediante, viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos, & ipsam Ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam protectricem nos esse volumus: Anno Filij nostri XLII. Indictione I. III. Nonas Iunij. Luna XXVI. Feria V. ex Hierosolymis.

Maria Virgo, quæ supra, confirmat præsens Chirographum manu propria.

Qui super prædicta enarratione coniecturas, argumenta, testimonia, rationumq; conflictus, (quæ certe nostrum examinare non est) cognoscere cupit, adeat euoluatq; opus P. Pauli Belli inscriptũ. Gloria Messanensium, auctoresq; item ibidem laudatos legat: nobis, lectoriq; nostro satis sit, recolere testimonium Eminentissimi Ioannis Delugo in latinum ex Italico redditum, quod idem Belli in calce memorati Operis, vt ab auctore datum fuit, exscribit integre.

In manus meas, (ait Delugo) traditus est liber vindicans epistolam Sanctissimæ Virginis ad Messanenses scriptam &c. *& paulo post*, Quicumq; libellum hunc sincero animo percurrerit, fateri omnino debebit, eiusmodi traditionem esse probabilem, aliasq; circumferri, quæ pro veris habentur, cum tamen tot rationibus, ac fundamentis, quibus

quibus hæc fulcitur, careant, & oppositionibus vehementioribus impugnentur. Ego sane concipere mente prorsus nequeo, quam ob rem debeat quis incendi ad impugnandam sententiam hanc adeo religiosam, & piam, quæ potest multis prodesse, & obesse nemini, atque ex cuius oppositione nullum alicui detrimentum redundat, cum nulli ex eius assertione aliquid dematur de suo. Gratulor igitur &c.

Sed accedamus iam ad sacram Imaginem, de qua loqui propositum fuit. Hæc, cuius Pictor, vt ex eadem traditione fama est, fuit S. Lucas, Antiochenam speciem præsefert, appellaturq; vulgo ***S. Maria del Letterio***, voce nimirum patria, perinde, ac diceretur, S. Maria à Litteris, seu ab epistola, quam ipsa, dum viueret, Messanensibus scripsit. Præfert autem effigies Græcam hanc Inscriptionem.

ΜΡ ΘΥ

ΗΓΟΡΓΟ ΕΠΗΚΟΟΣ.

Hoc est
Mater Dei velox ad
audiendum.


Et huiusmodi quidem præproperi auxilij illã inuocantibus allati, testes esse complura miracula, colligit R. Placidus Samperi in Icologia Virginis Messanensis c.9. ac deinceps.

Dies festus Sanctissimæ Virginis à Litteris, celeberrimo apparatu, ac singulari pompa, celebratur Messanæ ex concessione Sacræ Rituum Congregationis die tertio Iunij, eo videlicet, quo litteræ Virginis datæ sunt ad Messanenses.



M S.MA-

quem illa de more præferebat, ad conſpectum ſudantis Matris peruenit, ſtatim, & ipſe ſudore cœpit madere, Inſpectantibus populo cleroq; cum Archipresbytero, qui ſacratum ſudorem collegit, & in eodem calice cum materno repoſuit, ſeruatus eſt pretioſus liquor vſq; ad proximos annos, donec presbyter quidam ſurripuit, (& quia aduena erat) domum ſuam tranſtulit. Accolæ etiam omnes ad tantæ rei famam, & priuatim, & publicis ſupplicationibus acceſſere ad adorandam Deiparam, ſtetit deinde promiſſis Blaſcus, & ſequenti anno Fratres Minores accerſijt, ſed morte præoccupatus rem perficere nequit, à nepotibus tamen ex illius mandato peracta, constructaque omnia. Ex Actis iuratis auctoritate Archiepiſcopi Meſſanenſis.






NOSTRA SIGNORA D'ALCAMO.

27 F.Gr. sc.

IMAGVNCVLA DEIPARÆ IN PROMONTORIO AGATHYRSO.


Anno 1598.



ON diu est, quod sacrum almæ Deiparæ simulacrũ in Agathyrsum promontorium à Diuo Conone delatum fuit, & sane ab æthere delatum dicendũ est; viuuntque adhuc oculati testes, qui iureiurando rem contestantur. Nam an. 1598. xi. Kal. Nouemb. in eo colle, qui ex orientali plaga antiquo imminet Agathyrso (nunc Orlandi caput appellatur) D. Conon Ciuis oppidi Nasi monachali habitu, prægrandibus oculis, macilento ore apparuit, & intuẽtibus turrim, quæ ibi ad oram maritimam tutandam est, speculatoribus, Antonino Raffa, cum Antonina vxore, & Iosepho Pircello cũ Diuus instar fulguris Turrim circumdedisset, Imagunculam SS. Virginis mira specie, & humana augustiore 4. kal. Nouemb. ibi deposuit: ab ijs Nasum delatam effigiem, domi suæ excepit iuris peritus Antonius Piccolus, vt filio, qui iam à medicis destitutus fuerat, multo maiorem adhiberet medelam; nec frustatur, nam, post paucos dies, à benigna Angelorum Regina, quod humana negabat potentia, lætus accepit, filio in pristinam valetudinem restituto; at, cum ibi nollet SS. Imago diutius commorari, terræmotibus oppidũ agitari cœptum, quare perturbatis omnibus, Comes Nasi præcepit, vt imago Virginis ijs, qui in turri ad Agathyrsum degebant, rursus redderetur, vbi primũ à Conone collocata fuerat. Igitur ex Antonini ædibus domum Petri Iberti translata, vt inde in priorem locum referretur.

At cælestis arca quocunque pergeret, dona elargiebatur, & vti à mortis faucibus Antonini Piccoli filium eripuit, itidem in Iberti domo eiusdem patrem, qui ex graui lapsu claudus euasit, sanum, & incolumem reddidit, coram quam plurimis, qui ad contemplandam cælestem statuam conuenerant. Excito nouis miraculis ab Archipresbytero sacrata effigies, cum magno popularium concursu, ad S. Patri templum delata, vt ibi publice sacra in æde debita reuerentia coleretur; verum non idcirco quieuit terra, nam decem, & octo, quibus SS. Virgo ibi mansit, ferme octauo quoque die terræmotus validi Oppidum concutiebant, vnde magna in omnibus trepidatio. Paruere tãdem his actis terroribus Oppidani, rursusque ad pristinam sedem ad

Agathyrsum simulacrum Virginis, licet ægro animo retulere: quo tempore nouo etiam prodigio diuina mater suam voluntatem ostendit ibi commorandi, vt illud promontorium patrocinio suo tutaretur. Nam IX. kal. Apr. Annnntiatæ Virginis pervigilio, & sequenti die visus est D.Conon turrim illam circumlustrare, & ad vergens in Aquilonem latus tres lapides liquisse, perinde atque locum, in quo vellet SS.Deipara residere, templum ipsum signare voluisset. Quare Illustris Comes Nasi ibidem proprio sumptu templum ædificauit, & inde Messanensis Archiepiscopi auctoritate solemni pompa totius Oppidi Archipresbyter cum clero eo deduxit S. Mariæ imagunculam; vbi in lapideo tabernaculo auro perlito collocata seruatur, tanquam diuinum munus, ad quã concurrunt plurimi, nec inde vnquam se auellere animus sinit. Statua vnius palmi est. Materia ex qua sit, diudicari neutiquam potest, an ex cera, an aliud pigmentum. Certè omnibus cæleste opus apparet. Celebratur festus dies quotannis XI.kal.Nouembris, quo die à D.Conone delata fuit. Ex literis Petri, apud quem Imago D. Virginis fuit.



DIVA



N.ra SIG.ra DI PIÈ DI GROTTA DI PALERMO.

33 *Io. Frid. Greut. fe.*

D. VIRGO A CRYPTA PANORMI.

Anno 1564.



AD sinistram Panormitani sinus ripam antrum erat, & in eo effigies depicta Virginis Deiparæ lacerum filij corpus sustentantis gremio, lacrymisque irrigantis, perinde vt, cum è Cruce fuit ille depositus, factum creditur. Abiectum prius fuerat antrum, & nauticæ gentis tugurium, ibique nulla habita Sacræ Imagini veneratio. Non indignata tamẽ est puritatis, & gratiæ mater, specum illum illustrissimum ex obscuro reddere.

Nam anno salutis 1564. Sanctissimæ Parasceues die, dum pueri luderent in eo antro ante Virginis Iconem animaduertunt magnam sudoris, & lachrymarum copiam ex fronte, oculisque Deiparæ emanare; exterriti prodigio pueri prosiliunt, & rem prædicant per vias; ad eum nuntium mulier, quæ ibi forte versabatur, & lateris dolore laborabat magna spe in Virginem concepta, si infimi corporis partem sudore oblineret, ad antrum properat festina, vti prior omniũ ingressa veluti ex altera piscina, cæleste beneficium acciperet. Nec irrita spes euanuit; nam ingressa specum, admotoque corpori sudore Virgineo, repente sanitatem recepit; actis Virgini gratijs sana mulier miraculum vulgo enarrat, quibus rebus commotus populus vndique ad nouum gratiarum fontem concurrit.

Elargita est tam plurimis sua dona Virgo Sanctissima, præsertim ijs, qui maiori cum fiducia ad se confugerent; Quare celeberrimum extitit nomen illius antri, & Virgini ab antro datum nomen voce Sicula (*di Piedi Grotta*) Inter cætera prodigia Diuina Mater vocẽ muto ab ortu suo dedit; Messanensi mulieri cui morbus mammas corroserat, sanitatem tulit; infantem è matris vtero distortum sanauit; mortali vulnere sauciam Catanensem curauit; Moribundæ in partu Mazarensi opem tulit; græcam septem Dæmonibus liberauit; & infinita sane miracula edidit, quæ longa serie in eius templo videntur in tabellis defixa.

Inde statim auro oblita fuit Imago, antrum argento contectum, vbi nobilis, ac prædiues ara constructa, ipsum antri tectum cœlo ornatum aureis stellulis distincto, extra antrum Templum erectum est, summaq; pietate ab omnibus colitur. Festus dies idem est, qui primus

mus dedit initium miraculis SS. Virginis. Res est ex inscriptione, quam subijcio, quæ in templo legitur in hunc modum.

III. Kal. Apr. ante diem Parasceues MCCCCCLXIIII. initium fuit signorum, quę fecit hoc in antro Beata Virgo.



Se-


34
S.MARIA DEL LITERIO DI MESSINA.
34
F.G.sc.

Sequentes Enarrationes addidit collector.

SANCTA MARIA A LITTERIS
MESSANENSIS.



EX traditione habetur apud Messanensem Ecclesiam, Sanctum Gentium Doctorem Paulum, cũ esset in Sicilia (ter autem ibi fuisse testatur S.Chrysostomus *hom. 1. in epist. ad Romanos*, *Ter*, inquiens, *in Siciliam profectus est*) Habetur, inquam, Sanctum Paulum semen Euangelicum in Ciuitate Messanæ cum magno prouentu seminasse; potissimum autem, semel, ex cõcione, explicuisse Sanctissimi Redemptoris Nostri cruciatus, ac mortem, iterumq; alio die declarasse, qua ratione Aeternum Verbum in Sanctissimæ Virginis vtero humanam carnem assumpserit, atque ex hac notione, alijsq; de rebus Euangelij alias habitis documentis, Ciues Messanenses in Amorem Domini nostri, eiusq; parentem maxime inarsisse. Addit eadem traditio, eosdem, cum audissent, adhuc Sanctissimã Genitricẽ inter viuos agere Hierosolymis, Magistramq; esse, ac patronam omnium Christi Fidelium, exorauisse à Paulo, vt quandoquidem ipsis omnibus, ire integrum non erat ad Virginem, iret is aliquot legatis Messanensibus comitantibus, eamq; nomine omnium Fidelium Messanæ commorantium, salutaret, veneraretur, adoraret, ipsorumq; Ciuitatem sub eius protectione subijceret. Annuente Apostolo, inceptum est iter. expansis velis mare traijcitur, è naui descenditur, atq; Hierosolymam felici cursu peruenitur. Vbi, ductore Paulo, admittuntur ad conspectum Virginis legati, quo animo, quo sanctæ dulcedinis sensu, tum Sanctissimæ Deiparæ, tum Legatorum, verbis explicare, immo & mente complecti quis poterit? Neq; verò solùm eos mira humanitate excepit Virgo, verum etiam, respondere Messanensibus ciuibus dignata est, epistolamq; sua manu exaratam, legatis dedit, qua ciues illos omnes sub suo patrocinio se suscipere, professa est. Exemplar epistolæ ex Hebræo in Græcum idioma translatum, & ex hoc in Latinum, huiusmodi circumfertur.

quibus hæc fulcitur, careant, & oppoſitionibus vehementioribus impugnentur. Ego ſane concipere mente prorſus nequeo, quam ob rem debeat quis incendi ad impugnandam ſententiam hanc adeo religioſam, & piam, quæ poteſt multis prodeſſe, & obeſſe nemini, atque ex cuius oppoſitione nullum alicui detrimentum redundat, cum nulli ex eius aſſertione aliquid dematur de ſuo. Gratulor igitur &c.

Sed accedamus iam ad ſacram Imaginem, de qua loqui propoſitum fuit. Hæc, cuius Pictor, vt ex eadem traditione fama eſt, fuit S. Lucas, Antiochenam ſpeciem præſefert, appellaturq; vulgo ***S. Maria del Letterio***, voce nimirum patria, perinde, ac diceretur, S. Maria à Litteris, ſeu ab epiſtola, quam ipſa, dum viueret, Meſſanenſibus ſcripſit. Præfert autem effigies Græcam hanc Inſcriptionem.

ΜΡ ΟΥ
ΗΓΟΡΓΟ ΕΠΗΚΟΟΣ.

Hoc eſt
Mater Dei velox ad
audiendum.

Et huiuſmodi quidem præproperi auxilij illã inuocantibus allati, teſtes eſſe complura miracula, colligit P. Placidus Samperi in Icologia Virginis Meſſanenſis c.9. ac deinceps.

Dies feſtus Sanctiſſimæ Virginis à Litteris, celeberrimo apparatu, ac ſingulari pompa, celebratur Meſſanæ ex conceſſione Sacræ Rituum Congregationis die tertio Iunij, eo videlicet, quo litteræ Virginis datæ ſunt ad Meſſanenſes.



S. MARIA DELLA GROTTA,

Nel Collegio di Palermo della Compagnia di Giesù


36 Io: Frid: Greut: sc:

SANTA MARIA *DELLA GROTTA*

IDEST A CRYPTA PANORMI.



OLLEGIVM Panormitanum Societatis Iesu hac sacra Virginis Icone gaudet. Quam iam tum habuit anno 1552.cum inuictus,nec vnquam satis commendatus Carolus Quintus Imperator Abbatiam S. Mariæ *della Grotta* eidem Collegio,accedente consensu Summi Pontificis, addixit. Inter alia enim bona eius Beneficij, hoc optimum, & maximum obtinuit. Magnam antiquitatem redolet Imaginis pictura, habitumque Græcum præsefert. Collocata visitur super ara maxima templi eiusdem Collegij à quattuor puerulis marmoreis per quattuor tabulæ angulos concinnè dispositis sustentata. Fixa autem pendet ad instantem aræ parietem,qui medius inter duas nitidissimas, easque aureis venulis inspersas columnas, & Pario marmore, lydioqne lapide, atque inter textis pretiosis, ijsdemque versicoloribus lapillis, quasi Phrygio opere elaboratus, speculi instar, elucet. Solet ea singulis quibusque Sabatis sub vesperas, Musicis instrumentis canorisque vocibus Lauretanas Litanias decantantibus, coli; adolescentibus, qui in eo Collegio litterarum studia magno numero frequentant,suplici ordine ex antiquo more confluentibus.Sane omnes pie ac religiose Sacram effigiem venerantur,præsertim vero die octauo Septembris, quo eius dies festus celebratur.









NOSTRA DONNA DEL PILERI DI MESSINA.

SANCTISSIMA DOMINA NOSTRA DEL PILERI MESSANÆ.



VANTVM augustissimæ Deiparæ sit cordi huiusmodi Icon, quæ ideo appellatur *del Pileri*, quod inuenta casu fuerit latens in lateritia pila dum paries quidam, Anno Domini 1400. qui Regio Palatio ædificando impedimento erat destruebatur, Quantum, inquam, Deiparæ ea sit cordi, ex compluribus Beneficijs, quæ inde Fidelibus liberaliter profundit, facilis coniectura est. Omnium instar habe illud, quod hic describendum suscipio.

Per id tempus, quo Rhodus insula in Carpathio mari celeberrima, ab Octomano Turcarum Domino capta de Christianorum manibus fuit, Magnus Magister Ordinis Militum S. Ioannis Hierosolymitani, qui in ea Insula dominabatur, & singulari constantia pro virili diu illam defenderat, inde tandem eiectus, Turca concedente, magno Nauigio, & quattuor quadriremibus instructus simul cum suis, qui ex prælio superfuerant, se se mari commisit iturus Messanam, vbi, quo in loco firmam tandem fixurus esset sedem, deliberaret. Vela iam expanderant Nautæ, cum ea exorta est tempestas, ij ventorum hinc inde erumpentium pugna, ij vndarum fluctuantium impetus, vt Classis mox naufraga, ab hiantibus vorticibus certo absorbenda iudicaretur. Vehebantur in ea complures Rhodij, quibus victor hostis libertatem indulserat, ac nonnullæ piæ ac Religiosæ mulieres; quos inter conspicua erat quædam Virgo Deo sacra ex Monasterio Monialium Ordinis S. Basilij, nomine Nicoletta Agnes, quæ, licet ex nobili genere in eadem Insula nata, nobilior tamen erat ob morum puritatem, vitæq; sanctitatem, & cui ex interiore animæ pulchritudine venusta supra modum species exterius redundabat in corpus.

Porro dum ex violentia tempestatis turbarentur alij, suasq; calamitates deplorarent, ipsa ad nauis angulum se se abdidit, ibiq; flexis genibus, magna de diuina ope concepta spe, preces Deo feruentissimas porrigebat, sanctissimamque Deiparam orabat, vt pelagus ventosq; sedare dignaretur, salutemq; ijs nauigantibus concederet, qui vt Sanctissimam Fidem sarctam tectam conseruarent, patriam, suaq; omnia deseruissent. Ne, quæso, benignissime Domine, ne, pientissima Domina, (dicebat) Fideles vestri sacro Baptismatis Fonte saluberiter aspersi, ab infidelium aquarum fluctibus absorpti demergantur

tur. Ne Cæsum superbus Turca sibi fauere iactet, dum contra eos, quos ipse liberos dimisit, rabidas ventorum acies pugnare videt, & quibus ipse pepercerat, iratum mare ignoscere noluisse, glorietur. Faue tuis, clementissime Pater, Clementissima mater, tuis faue.

Hæc lacrimans suplici corde magis, quam voce vix exposuerat, cum ecce super nauigij summo Carchesio astantem prospicit pulcherrimam vultu Dominam vestimentis niue candidioribus ornatam, brachijs blandum puellulum sustinentem, quæq; aureũ capillamentum adeo oblongum promittebat, vt illud ab alto eo nauis apice, vsq; ad pelagus extenderetur: nauisq; eiusdem latera circumcingeret, eam ab vndarum iactatione quasi secure firmaretur. Mox se proprio nomine compellari, sic audit: Nicoletta, timorem excute; hoc enim nauigium sub mea tutela est: quare ex his, qui tam acerbas calamitates substinuere pro fide, peribit nemo. Ne ergo animo concidant ij, quos ego comitabor, quibus ego præibo semper. His auditis, animum erexit pia mulier, interrogationemq; interponere ausa est. Ecquæ nam, inquiens, tu es, pulcherrima Domina? Respõdit. Ego sum Virgo Deipara, quam sub cognomento *del Pileri* me Messana, quo vos tenditis, colit. Atq; his dictis euanuit. Nicoletta ergo diuini auxilij certa concepta spe, humo se subleuat, quæ viderat, audieratq; Nauigantibus enarrat. sedatur illico tempestas, mare detumescit, venti silent. Viatores autem omnes vouent, appulsa Messanam classe, se à littore ad templum Virginis *del Pileri* suplices ituros, manu cereos accensos præferentes; & viros quidem nudis pedibus, mulieres vero sparso capillo; ibiq; liberatrici Dominæ gratias acturos. Itaq; ventis suauiter efflantibus, Messanæ portum subiuere. Inde descendentes ad nuncupati voti modum, magna omnium, qui obuiam erant, admiratione ad sacram Ædem Sanctæ Mariæ *del Pileri* longo ordine se conferentes, pie, ac religiose, quod spoponderant, expleuere. Nec multo post Nicoletta, cui mente fixa inhæserunt candidi coloris vestimenta Sanctissimæ Virginis à se visæ, vitam Religiosam agere in Messanensi Monasterio Sanctæ Mariæ ab Alto nuncupato, elegit cuius, Moniales albis indumentis vtuntur. Illuc ergo cum alijs Rhodijs puellis nonnullis se recepit; vbi multos annos, instar mansueti Agni ipsa Agnes vixit, sãcteq; vt vixerat, vitam clausit.

Hanc enarrantiunculam habuimus ex manuscripto quod in eodem Monasterio S. Mariæ ab alto seruatur. Dies autem festus huius Sanctissimæ Imaginis S. Mariæ *del Pileri* magna celebritate colitur quinto Augusti, quo die eius inuentionem accidisse, fama est.

Sancta


37
S. MARIA DEL PONTE DI CALATAGIRONE.
37
F. Gr. sc.